Eduard Fraenkel

# LUCUBRATIONUM PLINIANARUM

## CAPITA TRIA

SCRIPSIT

**CAROLUS MAYHOFF**

PHIL. DR.

**NEOSTRELITIAE**

APUD THEOPHILUM BARNEWITZ

MDCCCLXV.

FRIDERICO HAASE

PRAECEPTORI PIE VENERANDO

SACRUM.

# PROLEGOMENA.

## I.

Quod in plurimorum fere scriptorum antiquorum, qui aetatem tulerunt, libris accidit, ut etiamsi per tria saecula numquam hominum eruditorum oculos et consuetudinem plane refugerint, tamen nostro demum saeculo cum historica fide et certa ratione critica ad antiquam et suam formam revocari coepti sint: id etiam in Pliniana factum est naturali historia propter uberrimam doctrinae utilissimae copiam a viris doctis olim vel supra modum celebrata [1]), temporibus omnibus diligenter pervolutata. Cuius operis emendationem pauca abhinc lustra ab inconstanti, quamvis ingenioso, editorum arbitrio, quod olim dominari solebat, vindicatam et ad severiores diplomaticae, quae vocatur, crisis leges exactam esse videmus. Quamquam enim haud pauci philologi, in iis viri primarii, ut Hermolaus Barbarus, Beroaldus, Erasmus, Beatus Rhenanus, Paulus Manutius, Iacobus Gronovius, Salmasius, praecipuam in Plinio emendando curam collocaverant et inde a renatarum literarum aetate usque ad annum 1700 p. Chr. n. non minus 56 editiones in lucem prodierant, quas omnes longa serie Ernestius in Io. Alb. Fabricii Bibliothecae Latinae vol. II, p. 185 sqq. accurate enumeravit, nihilo minus tamen Ni-

[1]) Quanta fuerit admiratio, qua renascentium literarum aetate viri docti Plinium prosequebantur, satis manifesto documento est illud, quod praefatio editionis Paris. anni 1526 fol. tradit dicere solitum esse Hermolaum Barbarum: „Qui Plinium non legit, est indoctus; qui lectum contemnit, indoctior; indoctissimus, cui non sapit.“

colaus Funccius in doctissimo de imminenti Latinae linguae senectute tractatu, quem Marburgi a. 1736 in publicum prodidit, p. 551 etiam post Harduini, Iesuitae doctissimi, curas iure sibi visus est repetere verba eadem, quibus Morhofius turpem naturalis historiae depravationem et ipso Plinio et philologorum doctrina indignam conquestus est. Quod quam recte fecerit, intellegere nunc possumus, quum Harduinum non constanti veterum exemplarium auctoritate et certis artis criticae legibus nixam recensionem dedisse, sed modo hunc modo illum codicem pro libidine sua critico negotio admovisse multisque locis per coniecturas fallacem quandam sanitatis speciem induxisse patefactum sit [2]). Verum tamen superiore saeculo nemo extitit, qui Harduini operam superare auderet: nam Franzius, qui inde ab anno 1778 usque ad annum 1791 editionem decem voluminum adornavit, textum ab illo constitutum mutare religioni habuit et quam Io. Dan. Denso, cuius Germanica Plinii interpretatione Rostochii anno 1764 edita Ernestius [3]) in magnam spem adductus erat, promisit novam Pliniani operis recensionem, ea nunquam prelis subiecta est.

Iam multi sane homines eruditi maximeque antiquarii, qui locupletissimis Plinii thesauris allicerentur, in transcursu singulos locos haud paucos tentarunt nec quisquam fere discessit, quin unam alteramve maculam abstergere conaretur: assiduo tamen et perpetuo studio quominus Plinium pertractarent, tam ingenti Pliniani operis ambitu quam rei criticae condicione gravissimis difficultatibus implicata philologi videntur deterriti esse. Centum demum annis praeterlapsis quum Boettigero auctore in naturae scrutatorum conventu Dresdensi anno 1826 novae Plinii editionis a philologo aliquo pluribusque physicis communi opera parandae consilium susceptum esset, laetior Plinianis studiis lux affulsit: quamquam textu plurimis corruptelis varii generis obsito opus, sicut constitutum esset, ad felicem eventum perduci vix posse et artioribus finibus continendum esse mox intellectum est [4]). Sed quum et regia munificentia et privatorum beneficio factum esset, ut optimi plurimarum bibliothecarum totius Europae libri manu scripti

[2]) Cfr. Silligii praefat. p. XXXIII. sqq.
[3]) Vide Fabricii Bibl. Lat. vol. II, p. 202.
[4]) De his omnibus uberrime exposuit Sillig. praefat. initio.

aut toti aut certe partim compararentur, coepta sunt solida fundamenta iaci, quibus Plinii castigatio perfectae artis criticae regulis constanter adstringenda niteretur. Itaque bonorum instrumentorum, quoad adiri tunc poterant, praesidio stipatus Iulius Silligius negotium criticum subiit, in quo per magnam vitae partem impigerrimo animo et sedulitate insigniter laudanda versatus anno 1851 magnam illam Plinii naturalis historiae editionem publici iuris fecit, quae textum exhibuit innumeris vitiis liberatum, multis locis expletum pristinisque editionibus haud raro plane dissimilem.

Attamen, sicuti exspectari poterat in opere tam immenso, quod de integro susceptum unius hominis vires paene excederet, a Silligio non fuit absoluta aut consummata, sed inchoata potius Plinii emendatio. Nam illum magnis suis copiis non semper usum esse ea iudicii subtilitate, quae in critico munere fungendo requiratur, sed strenua magis in subsidiis colligendis et sollerter adornandis industria quam sagacitate et iudicii constantia laudem sibi peperisse, mox demonstravit praeter ceteros Ludovicus Urlichsius, qui „Vindiciarum Plinianarum" fasciculo priore [5]) Gryphiae anno 1853 edito 254 locos erudite emendare conatus est. Paulo post novum instrumentum criticum gravissimi momenti apparatui Pliniano additum est Fredegarii Monei diligentia, qui ampla fragmenta pervetusti codicis rescripti in bibliotheca monasterii ad S. Paulum in valle Lavantina Carinthiae felicissimo casu detexit eaque habili forma repraesentata in sexto volumine editionis Silligianae publico usui patefecit. Hunc codicem praestantissimum licuit in usum suum convertere proximo editori Ludovico Iano, de veteribus codicibus conferendis optime merito et diuturna cura inde ab adolescentia in Plinio posita Pliniani ingenii et operis peritissimo. Qui quum ad conficiendam editionem, quae in bibliotheca Teubneriana (1854—1860) Lipsiae prodiit, Plinii verba sano et circumspecto iudicio retractaret, id maxime egit, ut codicum pretiis Silligio rectius aestimatis constantius eorum vestigia persequeretur itaque factum est, ut multo saepius quam suspicatus esset initio sibi a Silligiana recensione recedendum esse cognosceret, id quod manifeste ar-

[5]) Se nunc in altero fasciculo componendo occupatum esse nuper indicavit Urlichsius in Mus. Rhen. vol. XVIII, p. 532.

guunt copiosi locorum discrepantium indices singulis voluminibus praefixi, qui quamvis diligenter sint compositi, tamen, ut in tali re fieri facile potest, ne omnem quidem scripturae discrepantiam continent. Sed ille quoque ut sat multos locos nondum persanatos aliorum studiis sciens reliquit, ita in eligendis lectionibus nonnumquam sibi non constitit et deterioris ordinis codices praestantioribus anteposuit, id quod ei crimini non habebit nisi quem iuvat nulla difficultatum ratione habita de aliorum laude detrahere. Ianum excepit deinde Ludovicus Urlichsius, qui in „Chrestomathia Pliniana" Berolini anno 1857 publicata textum ab illo conformatum recognovit pluribusque locis expolivit. Hi potissimum viri post Silligii mortem plurimum dicendi sunt ad Plinii emendationem provehendam assiduis suis contulisse studiis, quibus quae exploraverunt tum singulis scriptionibus tum commentationibus per diversos philologicarum literarum annales disseminatis vulgaverunt.

Quum autem quales sint codicum propagines et affinitates nondum satis constare videretur, qui deinde exstiterunt critici laboris consortes, Detlefsenius et Felsius, non tam crisin in verba Plinii exercere, quam exercendae legem ac normam recte constituere studuerunt. Atque ille quidem postquam Italiae bibliothecas perscrutatus et postea Parisiis commoratus plurimos Plinii codices manu scriptos denuo inspexit et nonnullos antea aut partim aut non collatos contulit conferendosve curavit, novae editionis, quam paraturus est, magnam excitavit exspectationem; sed idem quum in commentationibus, quibus de codicum ratione disputavit [6]), contenderet, apparatum quem nunc Silligio et Iano debemus paene inutilem esse eumque non modo multo melioribus libris amplificandum, sed etiam longe alia ratione ad crisin adhibendum esse, iusto severiorem

[6]) Legitur earum commentationum altera, quae inscribitur „Epilegomena zu Sillig's Ausgabe von Plin. Nat. Hist.", in Mus. Rhen. tom. XV. p. 265—288 et p. 367—390, altera, quae inscribitur „Emendationen zu Eigennamen in Plin. Nat. Hist Buch 7", ibid. tom. XVIII, p. 227—240 cum appendice p. 327, 28. Ubi Detlefsen. postquam iam in Iahnii annal. tom. 77 p. 659 sqq. satis acerbe de Silligio iudicavit, in priore commentatione calidius quam iustius de eo praeter alia pronunciavit haec: XV, p. 265, „Die kritische Thätigkeit Sillig's ist eine sehr unsichere und nach dessen eigenem Geständniss (praef. tom. I. p. LXII.) mehr eklektische, wenn auch zugegeben

se praebuit aestimatorem eorum, quae viri docti illi de Plinio bene meruerunt. Alberto Felsio, qui antequam Detlefsenius studiorum suorum specimina in lucem ederet, eidem rei inquirendae operam dedit, non licuit codices ipsos adire, sed nullis aliis subsidiis usus est quam infinita variae lectionis mole a Silligio enotata, quam sollerter et considerate pertractavit, ut quid de origine deque auctoritate codicum censendum esset exploraret.[7]) Idem libello suo etiam hanc praebuit dotem utilissimam, quod locos haud paucos aut codicum scriptura recte vindicata restituit aut coniecturis tentavit.

Denique huc pertinet Iulii Solini, cuius „Collectanea rerum memorabilium" tota pendent a Plinio, nova editio a Theodoro Mommsenio parata, quae nuperrime, quum hic libellus iam confectus et literis exaratus in scriniis retinebatur, in lucem emissa est. Qua ille editione quum orationem Solinianam antiquissimorum codicum certo fundamento substructo stabiliverit singulosque locos ad suos auctores revocaverit, effecit ut qui Solino ad emendandum Plinium uti volent maiore cum utilitate nunc eum possint adhibere. Praeterea vero in prooemio de ratione, quae inter Plinium et Solinum intercedat,

werden muss, dass ein richtiges Gefühl ihn oft das Richtige hat treffen lassen." p. 266. „Die ganze Arbeit, welche nöthig ist, um überall einen sicheren Grund für eine systematische Kritik zu legen, ist so gewaltig, dass sie noch für längere Zeit wird unvollständig bleiben müssen." ibid. „Die Silligsche Aufzählung der Pliniushandschriften ist unvollständig, unrichtig und unordentlich." p. 283 affirmat, „dass das Silligsche Urtheil über den Riccardianus, einen Hauptpfeiler seiner Recension, als durchweg falsch oder doch ungenügend anzusehen ist, und dass die Principien, welche bei der Benutzung der Handschriften in der Nat. Hist. zu gelten haben, in ganz anderer Weise, als dies bisher geschehen, festzustellen sind." Aliis locis etiam Iani operam tanquam neglegentem perstrinxit, a qua iudicandi acerbitate Janus in Actis lit. acad. Bavar. a. 1862 p. 222 sq. se defendit et inquisivit, quantum novi Detlefsenii studiis deberetur, itemque Urlichs. in Mus. Rhen. tom. XVIII. p. 533 coniecturarum eius recensu instituto quamquam iusta laude affecit, modestiae eum commonuit: „Wir Kritiker des Plinius müssen alle bescheiden von einander lernen."

[7]) Felsii commentatio laboriosissima, quae a philosophorum ordine Academiae Georgiae Augustae praemio regio ornata a. 1861 Gottingae typis expressa in publicum prodiit, inscribitur: „De codicum antiquorum, in quibus Plini naturalis historia ad nostra tempora propagata est, fatis, fide atque auctoritate."

disputans nonnullas sententias proposuit et novas et speciosas: in quas si accuratius inquisitum erit, hoc certe proficietur, ut historiae operis Pliniani antiquissimae plus luminis affundatur.

Summis lineis iudicavi, quae et a quibus in Plinii naturali historia pristinae integritati reddenda adhuc elaborata sint. Videmus igitur haec studia paucorum annorum finibus contineri et a paucis viris fota et culta esse. Nihilo secius magni progressus facti et fundamenta iacta sunt, quae vix videntur denuo conflari et everti posse, nisi forte nova adiumenta summae antiquitatis in lucem protrahentur; et quamquam Detlefsenius dixit, plus quam dimidia parte copiarum Silligianarum abiecta meliorum librorum collationes substituendas esse, tamen, quoniam ne ii quidem codices, quos ille primus contulit, ad meliores fontes quam reliqui redeunt, non credo fore ut eius editio tanto discrimine ab editione Iani discrepet, quanto haec aut Silligiana ab iis quae olim vulgatae erant. Quod rectene dictum sit, ex editione Detlefsenii suo tempore elucebit. Interim non videbitur, puto, aquas ut aiunt in mare fundere, si quis constanti et intento studio legem criticam secutus Silligii copias maximeque scripturas vetustissimorum librorum, de quorum auctoritate nemo dubitat, pertractandas sibi sumat, ut quidquid inde ad orationem Plinii expoliendam adhiberi possit, eruere conetur. Nam quum facilius sit legem criticam statuere quam sequi, haud raro accidit, ut critici sibi non constent et recipiant scripturam, quam ratio diplomatica prudenter pensitata abici iubeat: id quod manifesto exemplo in codice rescripto Monei (M) videre licet, quem tametsi Ianus ipse concessit ceteris libris tam auctoritate quam vetustate adeo praestare, ut eius potissimum premenda essent vestigia, tamen saepius iniuria deseruit et permultos locos intactos reliquit, quos Felsius postea recte significavit ex M restituendos esse. Sed ne hic quidem omnia hausit, quae ex illo fonte ad Plinii emendationem redundant; nam denuo perscrutatus hunc codicem tantum inde lucratus sum utilitatis, ut locorum, quos in medium proferam, plurimorum medicina ex eo petita sit, nec tamen negaverim nonulla, quae fortasse paulo reconditiora sint, me praeteriisse. Huius igitur opellae in Plinio a me positae specimina, quantulacunque sunt, indulgenti doctorum hominum iudicio nunc committo, non quo nonnulla me, quae priores fugerint, acutius vidisse existimem, sed quia persuasum habeo,

in re haud vulgaris amplitudinis et quae consociatas multorum vires requirat vel minima quaeque ad communem literarum fructum et utilitatem contribuenda esse.

Constant autem hae Lucubrationes Plinianae capitibus tribus, quorum primo tractavi locos de interpolatione suspectos, altero locos, in quibus optimorum codicum scripturae iniuria desertae vindicentur, tertio locos ex deterioribus codicibus aut coniectura restituendos.

## II.

Verum antequam ad hos locos ipsos aggrediamur, paucis praemonendum videtur, quem finem quamque legem et regulam muneri critico constituamus.

Et in aliis scriptoribus, quorum historia critica ex pervetustis codicibus usque ad certum aliquod tempus satis explorari potest, si forte sperare licet, diplomatica crisi severe factitata nos etiam ultra illud tempus divinatione quam proxime accessuros esse ad propriam scriptoris manum: in Plinio ea spes longe plurimis locis si minus praecisa, at valde incerta est. Nam etiamsi nobis contigisset, ut archetypi illius, ex quo codices adhuc exstantes communem ducunt originem, textum restitueremus, genuinam tamen quominus scripturam assequeremur, obsisteret vel exemplorum vetustissimorum neque ita magno temporis intervallo a Plinii aetate distantium depravatio, cuius vestigia saepe ne animadverti quidem, nedum sanari possunt coniectura probabili (cfr. Fels. p. 32). Quam depravationem iam primis post Plinium saeculis grassatam esse [8]), quum ex communi sorte omnium, quae per manus traduntur, tum vero ex propria Pliniani operis natura et indole suspicari licet, quippe quod reconditae et abstrusae doctrinae copiis, multis nominibus propriis rarioribus aut incognitis, numeris repletum largam depravandi materiam praeberet; exstat vero etiam disertum testimonium Symmachi, qui quum exeunte fere saeculo quarto – gessit enim anno 391 post Chr. nat. consulatum — epist. I, 24 cum Plinii naturalis historiae „libellis, quorum praesentanea copia fuit“, ad Ausonium mitteret, „neglegentem veritatis librarium“ vituperavit. Cui testimonio quamquam cavendum est, ne universam quandam et latius patentem

[8]) Cfr. etiam Fels. pag. 51.

vim tribuamus, quae in eo per se spectato non inest; tamen quid est, cur negemus etiam alios librarios veritatis neglegentes fuisse nec cum fide scriptoris verba genuina et immutata exaravisse? Nempe propriis hoc oculis videre licet in codice rescripto M, qui quum Iano iudice quinto vel sexto saeculo adscribendus videatur, fortasse ex archetypo fluxit Symmachi aetate scripto; is enim permultis locis, imprimis libri quinti decimi fragmentis, non modo lapsibus calami [9]), sed etiam lacunis et alius generis vitiis inquinatus est. Atque ut codice M demum invento in ceteris codicibus tam interpolationes quam lacunae, quae antea criticorum aciem effugerant, patefactae sunt, sic in M quoque vitia aliquot in occulto latere quis audebit infitiari? Hoc igitur facile intellegitur, fieri non posse ut textum renovemus eum qui profectus sit ab ipso Plinio, sed hunc finem recensendi muneri esse positum, ut omnium codicum archetypum quam fieri potest maxime emendatum repraesentemus. Sed ne hunc quidem finem quominus ubique assequamur, plura sunt quae obstant. Primum enim, quamquam in hac re permultum debemus Detlefsenii disquisitionibus accuratissimis, singulorum codicum affinitates non habemus ita perspectas, ut de communis omnium fontis indole et aetate certa sit coniectura; maximum vero impedimentum in eo est positum, quod non in omnibus codicibus omnes Plinii libri servati sunt, sed ii ipsi codices, qui propter summam antiquitatem maximi sunt pretii, non integri ad nos pervenerunt, sed maximam partem mutilati paucos tantum libros vel etiam librorum fragmenta aliquot continent et plus quam dimidia pars totius operis Pliniani nisi in recentioribus libris manu scriptis hodie non legitur; nam codex rescriptus a Moneo detectus (M) ex fragmentis satis amplis illis quidem, librorum XI—XV constat; Bambergensis (B) sex ultimos libros comprehendit, codicis Leidensis A fragmenta aliquot ex libris II—VI servata sunt, codex Sessorianus sive Nonantulanus paucas paragraphos librorum XXIII et XXV exhibet, codicis denique Vindobonensis CCXXXIII ($\pi$) non plus viginti duae membranaceae laciniae exstant (cf. Detlefs. Mus. Rhen. XV, p. 267). Solis igitur in iis libris, in quibus horum codicum antiquissimorum praesidio utimur, eo perve-

[9]) Errorum conspectum copiosissimum dedit Fels. p. 18—25.

nire possumus, ut non sine probabilitate dicamus hanc vel illam scripturam fuisse in omnium codicum archetypo, contra in ceteris libris longe plurimis, in quibus nulli alii codices nobis suppeditant nisi qui recentiori aetate scripti minus habent auctoritatis (D V c R a d T), ultra horum codicum archetypum regredi non licet.

Iam hunc ad finem et terminum ut perveniamus, necesse est in variis lectionibus ponderandis constanter nos accommodemus ad certam legem ac normam criticam ex codicum dignitate eruendam. Quae qualis sit breviter expositurus non hoc mihi sumo, ut me parem esse existimem solvendae huic quaestioni intricatae et propter codicum multitudinem Plinianique operis ambitum imprimis difficili, neque quae ad codicum dignitatem explorandam in adversariis congessi, tantum valent, ut inde quid de singulis codicibus statuendum sit intellegi possit; sed quoniam Felsius in commentatione sua tanta exemplorum copia prolata disputavit ut legenti iudicium facere liceat, de iis codicibus, quorum scripturae in hoc libello in disceptationem vocantur, dicam quae mihi certa vindeantur. Ac primum Felsii et Detlefsenii, qui novissimi de hac re egerunt, sententias quasi adversa fronte sibi opponam.

Felsius igitur hanc summam totius disputationis p. 109 proposuit: „primum, ex optimis nostris codicibus MB—AR (in libb. XII. XIII.) textum Plinianum ad integrum fere restitui posse; deinde, ubi illis destituamur, nobis ad interpolatae familiae codices devolutis saepe de recte restituendis et rebus et verbis desperandum esse.“ Itaque universum fundamentum criticum putat positum esse in antiquissimis codicibus MBA et partim R, quem in libris XII. XIII. ex archetypo proxime ad M accedente derivat [10]; ii autem quum ne dimidiam quidem partem totius operis comprehendant, in altera parte dimidia certo fundamento caremus, nam codices V R D Θ T a c d, ut qui „summa cum licentia mutati et corrupti“ (p. 15) ideoque interpolatae familiae accensendi sint, „fide atque auctoritate sibi fere pares“ (p. 15) nec idoneos censet esse, quibus emendatio firmiter nitatur. Quibus nullam aliam nisi vim quandam auxiliariam — ut ita dicam — attribuit, scilicet ut ubi alicui codici

[10]) Idem Detlefsen. invenit, qui etiam accuratius iudicat hanc codicis R cum M similitudinem pertinere inde a XI, 216—XIII, 88.

adstipulentur, scripturae patroni exsistant haud contemnendi, ubi autem dissentiant et peculiare quid habeant, auctoritatem vix sibi vindicent.

Aliter Detlefsenius statuit, qui in adhibendorum codicum aetate annum 1200 quasi terminum quendam constituit: antiquiores negotio critico admovendos, recentiores prorsus neglegendos esse. Illos in duo genera disponit inter se separata, quorum alterum, quod antiquissimos codices MBA $\pi$ Nonantulanum continet, fragmenta tantum textus plus minusve ampla repraesentat, alterum totum fere textum servavit. Hoc autem rursus e duabus familiis constat his:

D + V (antiquitus in unum codicem integrum concinnati) a et $\omega$
et R et c

Cum hoc genere satis arto vinculo cohaerere affirmat codicem Lucensem (L) Iano et Silligio incognitum et Td: sed hos quum propriam non habeant auctoritatem, nihili faciendos et ex apparatu critico removendos esse; contra primarias partes tribui debere prioris generis codicibus atque e reliquis codicem c antiquissimum esse et codicem a praecipua fide praestare.

Quod igitur inter omnes constat, hoc tam Felsio quam Detlefsenio probari videmus: principatum obtinere MBA. Deinde quod attinet ad usum codicum D + V R a c, quibus Felsius minorem auctoritatem quam Detlefsenius attribuit, re ipsa inter utrumque dissensio non est: nam quamvis de pretio et dignitate dissentiant, consentiunt tamen de ordine deque regula critica ex hoc ordine repetenda; quum enim nobis meliora instrumenta critica plurimis locis non suppeditent, necessitate coacti sumus illis uti et alterum locum iis concedere, neque vero Felsius ea reiicit, sed contendit modo, hoc fundamentum lubricum esse atque incertum. Sed de codicibus Td controversiam movit Detlfsenius, cui ut in his libris prorsus damnandis adsentiar a me impetrare non possum. Nam quum ipse vir doctissimus concedat, illos eiusdem familiae atque D + V Ra esse, tum Felsii disquisitionibus subtilissimis extra dubitationem positum est, codices Td eodem fere loco habendos esse quam D + V R a c, maximeque a non adeo praeferendum esse dT, ut hi merito abiiciantur, ille emendandi adminiculum habeatur praecipuum. Quod ut paucis attingam, Felsius pp. 43 44, ubi codicem R in lib. XII. XIII. artissime cum codice re-

scripto M cohaerere probat, permultas affert lectiones, lacunas, interpolationes, in quibus a et d conspirant, similique modo p. 64 lacunis, erroribus, interpolationibus enumeratis demonstrat, R T d a ad idem archetypum redire; idem p. 68 exempla collegit ex quibus apparet, pretium codicis d iniuria a Sillig io deminutum esse et d prope ad A accedere solere cumque eo bonas lectiones exhibere, quum de codice a dicat p. 97: „utrum a an V R d praeferamus, difficile est dictu. In universum tamen a alteri codicum seriei, ubi consentiunt, posthabendus videtur, quoniam saepius quam illi interpolatus est.“ Denique quum Silligium, Ianum, Urlichsium eo inclinare videret, ut codici a principatum quendam permitterent, pp. 30—35 lectionum ex XIV, §§ 135—150 excerptarum conspectum proposuit, ex quo, quum d aliquanto maiorem bonarum lectionum copiam quam a praebeat hoc certe colligendum erit, codicem a in universum codici d non praeferendum esse.

Haec quidem documenta videri possunt sufficere: nihilominus tamen, ut tandem constaret mihi de dignitate horum codicum iudicium, in eorum scripturas denuo diligenter mihi inquirendum esse putavi, quumque ex nonnullis libris satis probabilem coniecturam de totis codicibus fieri arbitrarer, ex iis libris, in quibus codice M certa praestantiae mensura utimur, omnes lectiones eas, quibus d, et eas, quibus a iniuria dissentit a codice M, excerpsi excerptasque quam fieri poterat accuratissime numeravi. Quo pacto quae invenerim priusquam proferam, hoc praemoneo, me eas lectiones removisse, quae in M depravatae, sed in d aut in a corruptela non affectae sunt, sicut in Indice ad lib. XI tria lemmata, quae d recto loco aut integra, M falso loco aut corrupta servavit, omisi: 14. *asilus, papilio,* quod d recto, Ma R falso loco praebent; 30. *Vesica et quibus animalibus non sit*, ubi Ma R perperam *sint;* 34. *Quae nec venas nec arterias habeant,* ubi Ma R falso *habent.* Praeterea eas lectiones, quae licet non prorsus cum M consentiant, tam levi tamen discrimine distant, ut eandem scripturam archetypi librariis ob oculos versatam esse illico cognoscas, non a M distinxi, sed tanquam consentientes numeravi; sic exempli causa XII, 32 *sactaron* (a) cum *saccaron* (M), XIII, 18. *iriin* (a) cum *irim* (M), itemque XII, 35 *frictur* d) cum *frietur* (M), XIII, 103 *fereus* (d) cum *ferens* (M) conspirare putavi.

Iam igitur perlustremus Indices in M singulis libris prae-

missos et libros XII—XV, quoad in M servati sunt; ponam autem in primo ordine numeros earum lectionum, quibus solus d, in secundo earum, quibus solus a dissentit a M, denique in tertio earum, quibus d et a communi errore a M discrepant.

| | d | a | d+a |
|---|---|---|---|
| Ind. ad XI. | 21 | 6 | 4 |
| — — XII. | 10 | 12 | 4 |
| — — XIII. | 6 | 3 | 3 |
| — — XIV. | 4 | 10 | 3 |
| — — XV. | 14 | 10 | — |

Videmus in his Indicibus codicem a sibi principatum vindicare, ut adsentiendum sit Urlichsio, qui in Iahnii annall. tom. 71 p. 256 sq. Ianum immerito T d praetulisse contendit: quamquam de hac praestantia nonnihil detrahitur, si mendorum quae in d sunt naturam spectamus: varietas enim lectionum efficitur verborum collocatione mutata aut minutiis orthographicis, in quibus ne M quidem sibi constat (nam Ind. XII, 14 *malachan*, MaR, *malacham*, d, sed XII, 35 *malacham*, Mad.), et in Ind. ad XI d quinquies ante *de* praepositionem, bis ante pronomen relativum *et* addidit. Longe vero alia ratio est in libris ipsis, quorum quidem librum XI. perlustrare praetermisi, quia codex a ad hunc librum non collatus est; cfr. tamen Fels. § 8 pp. 31. 32, apud quem multa exempla collecta sunt, quibus d conspirans cum M multo praestat vel codice R.

| | d | a | d+a |
|---|---|---|---|
| Lib. XII. | 73 | 124 | 94 |
| — XIII. | 155 | 225 | 209 |
| — XIV. | 104 | 176 | 68 |
| — XV. | 88 | 150 | 47 |

Hos numeros inter se comparantibus primum hoc nobis persuasum erit, d et a satis arto affinitatis vinculo contineri: aliter enim explicari non possunt multa illa vitia, quae utrique eorum communia sunt, ut XII, 7 *potuisset* pro *potuisse* (MR), ib.

17 *marię,* pro *materia,* (M R), ib. 18 *vigens* pro *vicenos* (M R), ib. 21 *non eas exponam* pro *nunc eas exponemus* (M R); XIII, 22 *M. Cithonem* pro *Othonem* (M R), ib. *audivimus* pro *audimus* (M R), ib. 23 *custodibus* pro *cuspidibus* (M R), 25 *Policium* pro *Plotium* (M R), ibid. *tor* pro *consulis* (M R), 43 *quem* pro *quodam* (MR), 44 *nobilitates* pro *nobilitas* (MR), 53 *sedrelatent* pro *cedrelaten* (M R), 69 *estaltem* pro *et Saite* (R, *—ae,* M), *aliopisces* pro *aliopecis* (M), 125 *cessetlera* pro *scelera* (M); XIV, 36 *Arrentio* pro *Arretio,* 111 *elebis phagora* pro *elelisphaco* (M); XV, 36 *appiniae* pro *sappiniae* (M), ibid. *pythidia* pro *pitydia* (M), 45 *transire* pro *transiere* multaque alia. Imprimis vero insignes sunt lacunae ut XII, 18 *que* pro *Graeciaeque* (M R), ibid. 22 omittunt *imi,* ib. 36 *— que at Indicum umidius,* 63 *ibi in* pro *Sabin* (M Θ), 105 *qui,* 120 *maleficium deprehenditur gustu amariore, esse enim debet lenis;* XIII, 15 *aut,* 18 *— que Syriis,* 23 *sub,* 26 *et,* 27 *sponte genita nec in alia,* 29 *et,* 33 *est,* 43 *qui,* 53 *cedrys,* 56 *ipso,* ibid. *aliter* 57 *hoc,* 59 *et,* 60 *et,* 62 *nisi,* 65 *fuit,* 68 *certe,* 79 *e,* 80 *e,* 84 *M,* 85 *e,* 87 *et se,* 91 *X,* 97 *a,* 102 *in,* 104 *et,* 130 *valida,* 131 *atque,* 133 *Canus adspectu breviterque si quis exprimere similitudinem velit, angustioris trifoli frutex,* 135 *est;* XIV, 35 *e diverso argeica Vergilio argitis dicta ultro solum laetius facit, ipsa contra imbris et senectam fortissima, vino quidem vix annua;* XV, 5 *in sportis prematur sive* et paucae aliae. Item d et a habent additamenta communia, velut addunt XII, 20 *in,* XIII, 28 *et,* ibid. *anno,* ib. *et;* 56 *ipse,* 59 *sed,* XIV, 62 *prope.* Unde sine dubio apparet, hos codices licet non ex eodem exemplari manaverint, certe ad eandem familiam pertinere.

Deinde vero numerorum conspectu supra proposito aperte docemur, uter codex textum melius servatum exhibeat; nam quum in illis 331 fere paragraphis, quae in M nobis servatae sunt, d 420, a 675 vitia propria habeat, haud dubie consequens est, ut d maiore fide dignum quam a iudicemus. Sed hanc numerorum differentiam nimis premere nolo, quum, ut Fels. p. 35 monuit, hi codices non ubique sibi constent et fieri facile possit, ut in aliis libris a minus depravatus sit: id quod in primo libro, qui Indices continet, accidisse supra vidimus, itemque librum XXXVII postea e recentiori codice infimae notae suppletum esse cum Iano Felsius agnovit (cfr. Iani praef. ad vol. V p. IV.) Praeterea codici d soli per se confidere non possumus et cautione utamur necesse est, nam in vitiis eius

nonnulla inveniuntur, quae librarium suo arbitrio scripturam mutavisse arguant: sic sententia nonnumquam vix mutata alia vocabula substituit aut scripturam coniectura expedivit, ut XII, 4 *quibus* pro *quis*, 62 *odoraret* pro *adoraret*, 74 *deinde* pro *dein*, idemque etiam XIV, 134; XII, 75 *atque* pro *itaque*, 107 *vocant* pro *appellant*, 117 *concios se nosse* pro *congios senos e;* XIII, 136 *conficiunt* pro *inficiunt*, 74 *praeparantur chartae* pro *praeparatur charta*, 102 *oraculum* pro *delubrum*; XIV, 3 *nunc* pro *non*, 27 *vix ulla* pro *vis ulla* (a), quod corruptum erat ex *visulla* (M), 29 *Graeciae* pro *praeciae*, 144 *Scaevola sed* pro *saevo alias et* (a); XV, 16 *rem* pro *causam*, 18 *interciso* pro *conciso*, 22 *detergenda* pro *tergendas*, ibid. *liquentur* e coniectura pro *liquantur* (a), quod corruptum erat e *linquantur* (M), 33 *animalium* pro *quadripedum*, 37 *quae candidiora* pro *qui candidior*, 59 *autumnale* pro *autumni*. Praecipua vero eius licentia cernitur in eo, quod genuinae verborum collocationis nimis incuriosus erat: saepissime enim verba transposuit, velut XII, 20 *iucundo odore* pro *odore iucundo*, 76 *debet esse* pro *esse deb.*; 86 *omnia siquidem falsa* pro *omn. fals. siqu.*, 110 *alii sceptrum vocant* pro *vocant, alii scept.;* XIII, 38 *nomine accepto* pro *acc. nom.*, 39 *germinantes rursus* pro *rurs. germ.*, 51 *traduntur morsus* pro *m. trad.*, 55 *inter se semper* pro *semp. int. se*, 87 *placuerit eos* pro *eos plac.*, 109 *alte absit* pro *abs. alte*, 132 *est minoris impendii* pro *min. imp. est*, 136 *eiusdem genus* pro *gen. eiusd.*, XIV, 60 *miris laudibus celebrantes* pro *cel. mir. laud.*, 83 *dulce vocat* pro *voc. d.*, 84 *ita calcatis* pro *calc. ita*, 99 *postquam paulo* pro *paulo pstq.*, 102 *non nisi necessariis interpretationibus* pro *intp. n. nisi nec.*, 104 *quemadmodum Cato* pro *C qu.;* XV, 14 *pravitati ratio* pro *rat. pr.*, 47 *genera plura sunt* pro *pl. s. gen.* Porro habet d nonnullas interpolationes et lacunas proprias, quas tamen longum est hoc loco enumerare.

Contra librarius codicis a videtur paulo minore licentia exarasse archetypi verba; collocationis certe verborum mutatae nullum exemplum inveni praeter XV, 15 *praesertim cum* pro *cum pr.;* quamquam non desunt interpolationes aut lacunae propriae aut lectiones, quas e literis archetypi male intellectis proprio Marte finxerit, ut XII, 31 *absinthium* pro *aptissimum* (M d), 35 *fricatur* pro *frietur*, 62 *arabiam* pro *orobiam* (M d), 107 *metapoli* pro *metopon*, 109 *linata* pro *Nili nata* (M R d), 119 *suco arguitur* pro *quod coarguitur;* XIII, 79 *tenerandis* pro *tole-*

*randis*, 115 *cui*, a[1] *caucaso* a[2] pro *Achaia*, 27 *gallica* pro *calida*, 29 *tradat hisque* pro *gradatisque* (M R d), 32 *summa dorso* pro *caesum a dorso* (M R d), 33 *disceditur* pro *discernitur* (M R T d), 50 *suavitas monstri sunt* pro *suavitas musteis ut* (M R d), 52 *nidos*, a[1], *nidis*, a[2] pro *nodis* (M d), 86 *potuisse* pro *computuisse* (M R, *computruisse*, d), 94 *esse concili* pro *sescunciali* (M, *sesconcili*, d), 132 *capessere* pro *cepas seri* (M, *caepe seri*, d), XIV, 30 *Albanum vinum* pro – *ano vino* (M d), 48 *exspectantur* pro *spectantur* (M d), 49 *perarenmium palaemonem* pro *opera, Rhemmio Palaemoni* (sic d recte, M: *—mi —nis)*, 32 *subterens* pro *subdere iis* (M; *subdere his*, d), 61 *ani sunt clano* pro *Amynclano* (M, *Aminelano*, d), 80 *civilitas* pro *ciscibilites* (T d), 111 *natura* .. *dicetur* pro *naturae* .. *dicentur* et multa alia.

His omnibus recte perpensis facere non possum quin statuam, codicem d si minus codici a praeferri possit, at cum eo aequiparandum neque alterum alteri posthabendum esse. Quid, quod loci inveniuntur, ubi, inter omnes codices solus d cum M conspirat et genuinam scripturam servavit? Velut in Indice auctorum ad librum XV solus habet cum M *Theophrasto*, quod omittunt R a T;

XII, 78 *Scanchro*, M d, *Schantro*, a Θ, *Scantho*, K, *Zagro*, Sill.
83 *asseverant* d recte, *adsuerant* M leni errore, *astruxerant*, a, *adstruerat*, Θ, *astu erant* T;
117 *e maiore*, M d, *maiore*, R, *maior*, a,
127 *Psophide*, M d, *ipso fine*, a, *prophide*, R, *Phenea*, K;
ib. *radice*, M d, *radice in*, a, *radicem*, R.

XIII, 36 *bimas*, M d, *binas*, a, *hubimas*, R;
40 *lunatumque*, M d, *limatumque*, a Θ;
58 *caudex arboris*, M d, *caude ex arbor*, R, om. ar;
86 *arbitrarier*, M d. *arbitranter*, R, *arbitrari ea* a;
112 *malum*, Md, om. a; ibid. *cognomine*, Md, *eo gramine*, a;
130 *Amphiloco*, M, *Anthiloco*, d, *Antilomaco*, a Θ, *Aristomacho*, Sill.;
139 *ferentibus*, M d, *ferentes*, a, de quo loco in cap. II extr. disputatum est;

XIV, 33 *exsuperans*, d solus recte, *exuperant*, M, *exui errans* a;
81 *aut ferventi oleo*, M d, *adferunt dolio*, a (etiam Sill. *dolio)*;
53 *praeterquam*, M d, *praeter quod*, a;
136 *sub diu*, M d, *sub divo*, a Sill., idemque etiam XV, 31.

XIV, 139 *nudosque,* M d, *nudus,* a, *nudos* Sill.;
XV, 62 *exclusa .. aura,* M d, *excluso .. austro,* a Sill.;
72 *artis non naturae,* M d, *arte non natura,* a Sill.;
75 *a moeris,* M d, *moenis* D[1], *moeniis* D[2] a;
76 *admovit,* M d, *admonuit,* a, *adiri,* r; et alia.

His testimoniis satis, puto, luculenter demonstratur, codicem d non solum, ubi alios consensu confirmet, admovendum esse, sed etiam, ubi solus sui similis sit nequaquam neglegi debere, quippe quo — ut nunc quidem res est — locis dubiis certe ad veri vestigia duci possimus. Imminuetur fortasse nonnihil eius utilitas, quum variae lectiones codicum D a ω, quas Detlefs. omnes excerpsit, evulgatae erunt — omitto codicem Lucensem, qui non plus quam XVIII, 309—365 continet — sed vix credibile est, omnia quae d habet bona etiam in illis esse ideoque fore ut plane fiat supervacaneus.

Denique dicendum est de codice Toletano (T), qui cum d proxime cohaeret nec tamen numquam ab eo discrepat et cum R aut a consentit idque ita quidem, si Felsio p. 39 credere licet, ut „plerumque d aut errare aut coniectura correctum esse sciamus.“ Dolendum quidem est, T non accuratius collatum esse a presbyteris Toletanis, qui teste Silligio (prf. p. XI) insigniores tantum lectiones enotaverunt, sed quia non omnes noverimus, quis dicet eas quas novimus nihili faciendas esse? Etenim iam ex his satis patet, nos ne hoc quidem codice carere posse, id quod documentis nonnullis accuratius confirmabo. Primum enim T una cum d aut cum R genuinas aliquot lectiones praebet, quas M servavit, velut XII, 97 *gustuque* MT d, *gustuve,* a. 107 *metopon,* MT d, *metapoli,* aΘ, *metopona,* R. XIII, 20 *sentit,* MT d, *sentsit,* R, *fecit,* a. 29 *indutis* MT d, *inductis,* a, *inducitis* R. 42 *accipimus* MT d, *accepimus,* a Sill. 45 *patetae nimio* MT d, *patet aenimi ob,* a, *parieteni mio* R. 59 *fetus eius* MT d, *fetus est,* a, *eius* om. R. 87 *Piso* MT d, *ipse,* a. *Physo* R. 109 *et caput ipsum* MT d, *escapulissum* a. XIV, 4 *vitii* MT d, *summi,* a, *somni* Sill. 27 *Biturigiaca* T d, *Viturgiaca* M, *Bituriaca,* a Θ. 34 *surculam* MT d, *scirculam,* a. 38 *municipi* MT d, *munitis* a. 35 *potentissima* MT d, *potissima* a Sill. Ian, at vide Fels. p. 13 not. 3. 39 *pariana* MT d, *paria,* aΘ c. 86 *annui* MT d, *anno* a Sill. 97 *reliqua* MT d, *alia* a, 112 *e fruticum vero genere* MT d, *et fruticum verum a genere,* a. XV, 17 *possis* M, *posiis* T d, *posiae* a. 31 *Selgiticum* MT d, *Seletiticum* a. *Selgicum* Sill. XIII., 54 *nigri splendoris* MRT, *n. splen-*

*doribus* ad. 59 *siliqua* MRT, *siliquae* Θ a d. 76 *segestriumque* MRT, *segestrium quem* a d. Deinde vero non desunt lectiones, quibus T ex omnibus unus cum M conspiret:

XII, 36 *gumminosum,*
XIII, 59 *Ceranniam,*
77 *texitur omnis,*
XIV, 39 *streptis,*
99 *inarescat,*
XV, 28 *pisselaeon.*

Quae quum ita sint, facile adducor equidem, ut Urlichsio et Iano[11]) adstipulatus, solam ob recentiorem aetatem codices d et T non reiciendos iudicem et tribus codicum ordinibus constitutis hanc mihi scribam legem criticam:

1) principatum tenent vetustissimi codices MBA, quorum scripturam acriter tueamur necesse est, ubicumque tolerari potest;
2) ubi vero illi nos deficiunt aut ubi eorum scripturam vitiatam esse certis rationibus cum argumentandi necessitate dèmonstrari potest, ad codices secundi ordinis D+VRa descendendum est;

[11]) Urlichsius suam de codicum adhibendorum ratione sententiam contra Detlefsenium enucleate sic pronunciavit in Mus. Rhen. XVIII, p. 533: „Ich folge in erster Linie ABM, in zweiter R, wozu natürlich aDV kommen, in dritter Td, und wo mich alle im Stich lassen, suche ich das Richtige zu errathen. Dass jene Ordnung die richtige sei, darin stimmt Hr. Detlefsen mit mir überein . . . Wir Kritiker des Plinius müssen alle bescheiden von einander lernen, und so wollen wir auch von d das Gute nehmen, das er bietet; ich mache wiederholt darauf aufmerksam, dass im Ind. auct. zu XV der Name *Theophrastus* allein in M und in d steht.“ Ianus primo in Actis Monac. a. 1862 p. 221—260 de Detlefsenii et Felsii commentationibus verba fecit, novissime de codicibus Plinianis suam sententiam aperuit in Philologi tom. 21 fasc. 1 (1864), ubi omnium fere, quae inde a Silligio de Plinio scripta sunt, recensionem instituit. Et postquam p. 111 improbavit, quod Detlefs. codices Td plane abiciendos censuit, de quibus Urlichsio in tertio eos ordine collocanti adsentitur (pp. 115. 16), ipse de commentatione sua anno 1858 edita „De codicum Plinianorum auctoritate“ disserens codices nunc statuit sic esse ordinandos: I. Mπ Nonantul. BA, lectiones marginales Vaticani cod. (De), vetusta Excerpta, lectiones aliquot man. sec. R² a² d², nonnullae adnotationes Dalecampii. II. 1, RDVaΘ. 2, Td. III. Lectiones, quas Hermolaus Barbarus et Gelenius adnotaverunt, tanquam ex codicibus desumptas, multae lectiones man. sec. R² a² d², eae adnotatt. Dalec., quae videantur licenter mutatae esse.

3) ubi in his quoque depravatio deprehenditur, audiendi sunt tertii ordinis codices T d, quorum ex scriptura cum illis comparata quid verum sit eruatur;
4) ubi omnes nec sententiae nec Plinianae dicendi consuetudini satisfaciunt, coniecturae locus est.

Omnino autem per se intellegitur, in critico negotio praeter aliquam rerum cognitionem imprimis familiaritatem cum scriptoris usu loquendi contractam necessariam esse. Nam quum, ut verissime iudicat Urlichsius [12]), nullum fere vitiorum genus cogitari possit, quo non etiam optimi libri manu scripti laborent, sola ratio diplomatica non semper ad recte decernendum sufficit, sed saepe causam qua decernas quum ex re narrata tum ex Plinii consuetudine repetas oportet. Quo adminiculo ut facilius utantur qui Plinium emendare volent, effectum est Laurentii Grasbergeri dissertatione, quam Urlichsio auspice, cuius et vestigia saepe secutus est, de usu Pliniano scripsit et Wirceburgi a. 1860 edidit: qua ille fundamenta iacere „grammaticae Plinianae" et Plinii de sermone Latino excolendo, amplificando, novando merita exemplis illustrare sibi proposuit. Sed ut quivis assiduam eius in congerendis locis laudabit industriam, ita in his arte critica digerendis et explicandis acumen interdum desiderari negare non poteris [13]). Minoris et ambitus et pretii sunt Opitzii „Quaestiones Plinianae" (Progr. gymn, Numburg. a. 1861), quae quum maximam partem adnotationibus, quas Urlichsius Chrestomathiae Plinianae subiunxit, nitantur, pauca habent, quae nova et propria sint, praeterquam quod in exordio Vergilianus usus partim in comparationem vocatus est. Etiam post horum virorum curas spero non prorsus inutiles fore et supervacaneas adnotationes illas grammaticas, quas diversis locis argumentationi meae adspersi quibusque Plinianae elocutionis proprietates quasdam adumbrare conatus sum. In his si quis multa clamet minutula esse vixque pusillo ingenio

---

12) Disputatio crit. de num. et nom. propr. in Plin. nat. hist. p. 3.

13) Quod ne cui maligne dictum videatur, exempli causa provoco ad caput sextum, quo „de particulis quibusdam" agitur: in quo quasi in communi receptaculo diversissima inter se mixta et composita sunt. Praeterea compluribus huius libelli locis occasio mihi data est a Grasbergeri sententia discedendi. Uberius Ianus de eo exposuit in Iahnii annal. philol. tom. 83 p. 281—88. Cfr. Philol. tom. 21 p. 104.

digna, huic opprobrio iure licet obicere, antiquarum literarum fontes, quoad nostra et subsidia et ingenia sufficiant, exhauriendos et in oratione antiqui scriptoris emendanda et explicanda nihil neglegendum esse. Plinianis vero in libris ut vel res minutas animadvertamus, peculiaris est et gravissima causa quae suadet. Nam qui in omni quam tractavit doctrina scrupulosam prodiderit industriam, qui, quum adolescens causas actitasset, de oratore ab incunabulis instituendo et perficiendo tres libros composuerit diligentissimos, qui in „dubii sermonis" libris octo subtilibus grammaticae artis quaestionibus operam dederit et in varias verborum formas casuumque singulorum inquisiverit terminationes[14]: is profecto in oratione sua conformanda certas leges secutus est certumque usum etiam in levioribus rebus observavit, quem nostrum est et cognoscere et restituere.

# CAPUT PRIMUM.

## De locis interpolatione suspectis.

His praemunitis iam licet eo procedere, ut legem supra expositam aliquot locis adhibeamus, in quibus de interpolationibus — glossemata dico in textum illata et additamenta subditicia — disceptandum est.

### 1.

Ac primum quidem quotiescunque usu venit, ut codex M unam vel complures voces exhibeat, quae in codicibus inferiorum ordinum non leguntur, exoritur quaestio, utrum in codice M glossema an in ceteris libris lacunam agnoscere debeamus. Iam potest sane fieri, ut casu vocabulum aliquod in integram Plinii orationem irrepserit nec raro in codice M dittographia

[14]) Vid. Alfredi Schottmuelleri diss. de C. Plinii Secundi libris grammaticis part. I (Lips. 1858), imprimis p. 33 sqq. Valde dolendum est, quod Plinii doctrinae grammaticae fragmenta, quae habemus, non ita comparata sunt, ut quid ille statuerit certo sciamus iisque in emendatione nat. hist. uti possimus.

(cfr. Fels. p. 25) peccatum est, sed, ut Felsius p. 18 recte dixit, errores eius plerumque neglegentia aut inscitia librarii nati et ita comparati sunt, ut errandi causa facile cognoscatur, idemque multas lacunas solus explevit (vid. Fels. p. 10), quas hoc instrumento critico carentes vix animadvertissemus. Quamobrem cautione opus est ne praestantissimus omnium codex interpolationis suspicione temere adspergatur, eiusque summa auctoritas efflagitat, ut vocem quam ille habeat retineamus et in ceteris libris lacunam esse statuamus, nisi eam propter perturbatam orationem ferendam non esse certo demonstrare possimus.

Hoc si recte consideraveris mecum, opinor, dissenties a Iano, qui Silligio suffragatus edenti XV, 23: *Premi plus quam centenos modios* (olivarum) *non probant; factus vocatur, quod vero post molam primum est, flos* (sc. vocatur), illud *expressum,* quod M post *primum* habet, interpolatoris alicuius sedulitati attribuere videtur. Cuius opinionis nullam equidem video causam: nam *expressum* neque orationem conturbat neque rei narratae adversatur et inde aliquid probabilitatis sibi conciliat, quod Td[2] *excessum* praebent sine dubio ex antiquo fonte haustum. Cur igitur codicum ad[1] testimonio plus fidei habeamus quam codici rescripto?

Neque vero probo, quod Ianus XI, 250, ubi scripsit: *sicut dextera osculis aversa adpetitur,* damnavit illud *in,* quod in M ante *dextera* legitur; potest enim servari haec scriptura vetustissima verbis in hunc modum, in quem etiam Felsium p. 27 incidisse video, conformatis: *Inest et aliis partibus* (humani corporis) *quaedam religio, sicut in dextera: osculis aversa adpetitur, in fide porrigitur.* Non me fugit profecto, in Pliniana elocutione verbo *inesse* solum dativum adhaerere, ut VIII, 83. 130. IX, 132. 145. 178. X, 62. 108. 148. XI, 135. 242. 250 bis. XIV, 125. XV, 124. XVI, 161. XXIII, 1. XXVIII, 82; sed praecipua rationi meae inde adiungitur fides atque auctoritas, quod Plinius insigni variandi studio nec sine animi delectatione „enunciationum membra pari loco et dignitate posita non fecit forma aequalia, sed quaesivit etiam inaequalitatem,“ morem suae aetatis scriptorum secutus, qui quum numerosa Ciceronis oratione et eleganti verborum concinnitate iam non delectati nova artificia, nova lenocinia excogitarent, arguta dicendi varietate orationem sic distinguere studebant, ut legentium exspectatio

falleretur neve „ex antecedente sententiae membro sequentis membri forma mente praecipi posset.“ Quod inaequalitatis studium in Tacito praeter ceteros conspicuum persecutus est Rothius ad Tac. Agr. Exc. XXXIII, p. 276 sqq. et scite descripsit causam et consilium ex saeculi ingenio et more repetens Haasius in praef. ad. Tac. p. LIII, col. 2, cuius modo verba meum in usum partim convertere non dubitavi. Ac Plinius hanc inaequalitatem varia multiplicique ratione consectatus est, quam quum Grasbergerus p. 90 sqq. exemplis nonnullis illustraverit, ad hunc legentes ablegare placet. Mihi vero satis sit hoc loco enumeravisse enunciata, quae ad similitudinem eius, de quo sermo est, quam proxime accedant. Exordium autem fiat a simillimo, quod iam Felsius aptissime contulit, XI, 10: *illa non certis inest membris, sed toto in corpore;* similiter Plinius in altero membro casus variavit vel etiam cum praepositionibus mutavit, qua quidem opera interdum etiam sententiae aliqua diversitas significatur, locis his: XX, 41 *coctas dysintericis vescendas dedere et contra lumborum dolores.* 46 *item* (prodest) *morbo regio vel hydropicis et ad renium dolores.* 86 *Hippocrates* (brassicam dari iubet) *coeliacis et dysintericis bis coctam cum sale, item ad tenesmon et renium causa.* 228 *Et sacris ignibus et ambustis decocta in oleum folia imponuntur et ad volucrum impetus cruda cum pane.* XXXII. 45 *Prodest a serpente percussis et contra bestiarum ictus* XI, 199 *intestinus quibusdam eodem reflectitur, ut sepiae et polypo, in homine adnexus infimo stomacho.* 202 *media haec umbilico adnexo omnibus in homine suillae infima parte similis.* 209 *Haec* (volva) *viperae et intra se parientibus duplex, ova generantium adnexa praecordiis et in muliere geminos sinus ab utraque parte laterum habet.* 210 (volva) *primiparae suis optuma, contra effetis.* 101 (Insectorum) *quorundam extremi longiores curvantur, ut locustis.* Cfr. etiam Fels. p. 14 not. p. 29.

Etiam XII, 95 Ianus verbum *diximus*, quod unus M exhibet, exclusit; mihi recipiendum videtur nec tam in M interpolatione additum, quam in ceteris codicibus errore librariorum omissum esse. Atque haec est in M huius loci species: *Frutex et casia est iuxtaque cinnami campos nascitur ... tenui cute verius quam cortice, quem contra atque in cinnamo labare diximus et exinaniri pretium est.* Iam hoc quidem Iano concedendum est, in hac verborum collocatione *diximus* ferri non posse, quippe quod ab orationis structura abhorreat: sed hanc ob causam quis dicat

verbum illud necessario abiciendum esse? Nonne fieri potuit, ut a recto loco aberraret? Et profecto facillima transpositione locus sic sanatur, ut *diximus* aptissimam sedem obtineat et sententiae plane satisfaciat; ita enim volo verba transponi: ... *cortice quem contra atque in cinnamo diximus labare et exinaniri pretium est.* Infinitivus igitur, qui est *labare,* pendet ex locutione *pretium est.* Dixit autem Plinius de cinnamo paulo supra (§ 92): „damnatur in primis molle aut cui labitur cortex;“ cui contraria est casia, cuius corticem labare et exinaniri pretium est.

Denique cum Iano mihi pugnandum est de XIV, 99: (Acini labruscae) *paulo postquam defloruere singulare remedium habent ad refrigerandos in morbis corporis ardores, gelidissima [per se eorum] ut ferunt natura. Pars eorum aestu moritur prius* cet. In his omnium librorum solus M verba uncis inclusa exhibet, quae quum non receperit Ianus neglegentia librarii orta esse arbitratur, quippe qui oculis in proximam lineam aberrantibus verba *pars eorum* in M a prima manu *pers eorum* scripta bis exaraverit. Sed hanc rationem, quantumvis arridere potuerit, ut veram esse statuam, animum inducere non possum, quum unicuique inde suspicionem subnasci oporteat, quod verba illa pro spuriis habita haud contemnendam praebent sententiam, quae ex hac ablativorum absolutorum circumlocutione statim intellegitur: „quum natura eorum, ut ferunt, per se gelidissima sit,“ ubi non video, cur locutio *per se,* quam Plinius frequenter usurpavit (velut paulo infra § 103; *superiora per se mitiora;* cfr. Sillig. ad XXXII, 45) tolerari non possit. Permirum autem esset, si verba sinistro aliquo casu in orationem illata tam idoneam sedem nacta essent, ut sententia minime turbaretur. Accedit vero, quod ne veri simile quidem est, librarii errore verba illa in textum irrepsisse; nam si ita esset, qui fieri potuit, ut ille non *pers eorum,* quod in proxima linea scriptum erat, sed potius verba mutata neque apto intellectu carentia *per se eorum* exararet? Quid? quum ipse librarius in hunc locum animum denuo attendere coactus esset propterea quod verba a prima manu falso scripta correxit scribendo *pars eorum,* nonne necessario fieri debuit, ut primo huius loci adspectu erroris illius commonefactus *per se eorum* expungeret? Haec argumenta videntur mihi quidem tanti esse ponderis, ut verba a Iano damnata non a librario, sed a Plinio profecta et ex M legitime restituenda esse censeam.

His locis iure mihi videbatur codex rescriptus interpolationis nota liberandus esse; locum autem a prioribus nondum detectum, in quo M glossemate aliquo laboraret, deprehendi nullum, nam hoc vitiorum genere satis immunis est.

## 2.

Contraria est de locis iis quaestio, in quibus codex M unum vel plura verba omisit, quae deteriores libri praebent: quae possunt aut casu in M intercidisse, ut lacuna in hoc agnoscenda sit, aut in ceteris libris ab interpolatore addita esse. Atque in universum quidem horum utrumque pariter fere probabile est; etenim ut codex M lacunarum vitio non vacuus est[15]), ita inferiorum ordinum codices interpolationibus saepe turpati sunt, cuius rei documenta multa eaque insignia Felsius variis locis (cfr. pp. 11 sq. 15 sq.) in medium protulit. Qua igitur norma iudicandi utamur oportet, ut quid quoque loco verum sit cognoscamus? Hanc quidem facile est eruere ex lege critica supra constituta, quae vetat codicem rescriptum deseri, nisi scripturam eius depravatam esse idoneis argumentis evinci possit: ergo omnia verba, quae in M non leguntur neque aut sententiarum connexu aut Pliniano dicendi usu necessario postulantur, pro glossematis habenda sunt et eiciénda; sed ubi his verbis omissis violari integritatem sententiae et orationis demonstrari poterit, non dubitabimus, quin genuina sint et in legitimum locum recipienda. Iam hanc quoque legem cum severitate secutus locis nonnullis facere non potui, quin a Iani rationibus discederem.

XI, 8. De insectorum sanguine, de quo inter antiquos physicos controversia erat, quam suam Plinius exponit sen-

---

[15]) Omisit enim librarius non modo singulas voces, ut XII, 34 *omnibus*, 95 *frutici,* 117 *largior,* 118 *hoc*, 32 *murrae similis*, XI, 80 *et purus*, verum etiam „integras lineas quum in describendo archetypo a simili voce prioris lineae ad similem sequentis oculis aberrans unam vel complures archetypi lineas praeteriret;" vid. Mon. prolegg. p. XXIV. His lacunis, ex quibus Moneus p. XXXIV. bene demonstravit, archetypi lineas plus minusve vicenis literis constitisse, addi possunt etiam XII, 116 (p. 111, 6), ubi librarius *deinde simulque durescit* i. e. 22 literas, et XIII, 17 (p. 120, 5), ubi *unguinosum Mendesio* i. e. 18 literas sive unum fere versum archetypi omisit.

tentiam, ea neque apud Silligium, qui varias exhibet interpolationes, neque apud Ianum, qui *ne* particulam e Silligianis libris receptam in textum intulit, incorrupta et integra legitur, sed genuina huius loci conformatio solo in codice M servata est, quod primus Felsius p. 11 quamvis argumentis non allatis contra Ianum recte monuit. Ianus quidem in Act. Mon. a. 1862 p. 243 hoc illi concessit, non tamen ita, ut omnem dubitationem abiceret: quare quae adnotavi, antequam Felsii libellum cognoscerem, etiamnunc proferre licebit. Ac scripsit vir doctissimus hunc in modum: *Sanguinem non esse iis* (insectis) *fateor, sicut ne terrestribus quidem cunctis inter se similem, verum. Ut sepiae in mari sanguinis viris atramentum optinet, purpurarum generi infector ille sucus, sic et insectis quisquis est vitalis umor hic erit sanguis.* In his *verum* vult adiectivum esse ad *sanguinem* referendum, ut Plinius fateatur verum sanguinem insectis non esse, sicut ne terrestribus quidem cunctis sanguis inter se similis sit. At haec quomodo apte secum cohaerent? An terrestria quoque animalia, si non cuncta habent sanguinem inter se similem, vero sanguine carent? Nam aliud non potest esse tertium, quod vocant, comparationis. Praeterea vero nullo alio loco Pliniano evincere poterimus, negasse Plinium terrestribus esse sanguinem inter se similem. Deinde, quod ad enunciationis structuram attinet, *verum* tot verbis interpositis seiunctum est a nomine *sanguinem*, ut qui locum legit haud facile sentiat, alterum cum altero coniungendum esse. Denique quantopere orationis apta vincula desiderentur, quis est quin primo obtutu videat? Nam in enunciato *sanguinem non esse iis fateor* apparet concessionem contineri a Plinio adversariis factam; quam ob vim concessivam necesse est sequatur particula adversativa cum enunciato altero, quo vera Plinii sententia illis opponatur. Haec autem particula alia esse non potest quam illud *verum*, quod Ianus adiectivi munere fungi voluit: itaque gravi interpunctione post *similem* facta et *verum* cum sequentibus coniuncto acquiescemus in codicis M scriptura, in qua, quum desit *ne* particula, inest sententia optime procedens et recte cogitandi ratione postulata: *Sanguinem non esse iis fateor sicut terrestribus quidem cunctis inter se similem: verum ut sepiae* cet. Insectis igitur sanguinem esse nonnulli omnino negant, affirmat Plinius, sed ita affirmat, ut duplicem constituat vocabuli sanguinis significationem: atque

altera quidem, quae angustius valet, ea est quam plerumque et proprie huic vocabulo subicimus, ut sucum illum intellegamus rubrum et terrestribus animalibus cunctis communem; altera latius patet et impropria est, ut humor vitalis animalium, quisquis est, sanguinis voce indicetur. Etenim quemadmodum sanguis iure appellari potest humor vitalis, quum „magna in eo vitalitatis portio" posita sit et „missus spiritum secum trahat" (XI, 221) quumque „morbi omnes morsque absumant sanguinem" (ib. 225), ita vicissim humorem vitalem iure licet denominare vocabulo sanguinis; atque sepiae quidem sanguis atramentum, purpurarum sucus ille purpureus est. Quo discrimine facto adversariis concedit Plinius, non esse sanguinem insectis eum quidem, quem proprie hac voce indicemus quique, sicut terrestribus animalibus, cunctis communis sit et inter se similis, verum si sanguinis notionem latiore sensu accipiamus, negat posse eum ab insectis abiudicari, quum qui cuique sit humor vitalis, is eius sit sanguis. Brevi igitur ut complectar, terrestrium sanguis cunctis inter se similis et communis, insectorum pro singulorum natura diversus est. Haec est Plinii de hac re sententia, quam nostrum est explicare, non diiudicare, eamque verba, qualia supra restitui, satis perspicue exprimunt, quae non habent, quo iure vituperentur.

Item antiquissimi libri auctoritate commoveor, ut XI, 29 Plinii orationem interpolatrice manu adulteratam esse existimem. Nam quum in ceteris libris legatur: ***Regias imperatoribus futuris in ima parte alvi exstruunt amplas, magnificas, separatas, tuberculo eminentis; quod si exprimatur, non gignuntur suboles***, in cod. M deest ***suboles***, quod cur ab interpolatore insertum esse quam casu excidisse censere malim, complures habeo causas. Primum enim illud vix credideris in casu positum esse, quod hac voce plane carere possumus; nam profecto si non scripta esset, quis in eo offenderet, quod in verbis ***non gignuntur*** imperatores futuri intellegendi essent? Hac igitur re suspicio moveri debet: gravioris vero et praecipui momenti est insolens ille et parum huic loco accommodatus ***suboles*** vocabuli pluralis, a quo boni scriptores Latini plerumque pariter abstinuerunt atque a plurali numero abstracti nominis ***progenies***, quod similem habet significationem, et vocabulorum ***indoles*** et ***proles***, quae ab eadem radice descendunt eademque ratione conformata sunt. Et sic Plinius quoque, si hunc unum locum

excipias, ubique[16]) singularem numerum posuit: nam locis duobus his III, 22 *Graecorum qui fuere Phocaeensium suboles* et VI, 19 *Tanaim amnem .. incolunt Sarmatae, Medorum ut ferunt suboles*, in quibus ambigi potest, sitne pluralis an singularis numerus intellegendus, non est cur pluralem statuamus et V, 95 *a latere eius super Pamphyliam veniunt Thracum suboles, Milyae, quorum Arycanda oppidum* liberiore structura adhibita verbum *veniunt* ad appositionem *Milyae* accommodatum est, nisi *Thracum suboles* commatis inclusum appositionem putari mavis. Quare quum hic pluralis nusquam apud Plinium inveniatur nisi loco iustae dubitationi obnoxio, pronum est hunc usum ab eo abiudicare. Sed recurrat fortasse quispiam ad aliorum scriptorum auctoritatem, ut comprobet pluralem *suboles*, quum in latino sermone non plane inauditus sit, ne in Plinio quidem negandum esse. Apud rusticos enim scriptores compluries reperitur, et primum quidem plantarum suboles dicuntur „ea quae circa caput plantae ex ipsa radice enascuntur, in arboribus stolones intelleguntur" (vid. Gesner. Lex. rust. s. v.); sic Colum. V, 6 *itaque nemo iam serit* (Atiniam ulmum) *ex samera, sed ex subolibus;* id. XII. 10 *nec habuit suboles adhaerentes* (cepa); de arb. 5 *possunt etiam suboles per brumam caedi;* Pall. Rut. XII, 7 *exstirpandae sunt suboles a radice.* Deinde etiam, ubi de animalium subole dicitur, pluralis abhibetur, ut Colum. IX, 14 de apibus: *ne novae suboles diffugiant* idemque X. 213 de omnibus animantibus in veris descriptione:

atque amor ignescit menti saevitque medullis,
dum satiata Venus fecundos compleat artus
et generet varias suboles semperque frequentet
prole nova mundum vacuo ne torpeat aevo.

Ad cuius loci similitudinem proxime accedunt quae apud Cicer. de Legg. III, 7 in lege antiqua et obsoletis verborum

[16]) Loci, in quibus praeter eos, quos supra nominavi, Plinius *subolis* vocabulo usus est, sunt hi: XI, 34 *ut largo alimento valida exeat suboles* (apium). XI, 51 *postea ex his suboles cum adulta esse coepit.* VIII, 163 *utpote cum* (equi) *mittantur ad subolem.* XI, 14 *dein subolem* (faciunt apes). XI, 62 *cum subolem faciunt* (apes). XIV, 17 *aliae subolem novam in ipsa matre exspectant.* XV, 136 *conservari alitem et subolem iussere haruspices.* X, 105 *amor utrique subolis aequalis* (de columbis dicitur). VIII, 66 *maribus enim subolis cura non est.* VII, 31 *praeterquam subolis causa.* XXXV, 12 *ceu nidum aliquem subolis pariter ostendat.* XXXIII, 52 *iam regnaverat in Colchis Saulaces Aeetae*

formis scatente leguntur: *Censores populi aevitates, suboles, familias pecuniasque censento.* His igitur locis pluralis negari non potest, sed habet suam et manifestam interpretationem; nam quum suboles universali notione comprehendat omnia, quae in genere aliquo subolescunt, cuncta generis alicuius individua certo tempore genita, consentaneum est, pluralem numerum poni non posse nisi si significentur plurium generum suboles eodem tempore genitae aut eiusdem generis suboles diversis temporibus genitae et post certa temporum intervalla naturali processu renovatae. Hoc Ciceronis loco, illud Columellae locis cernitur. Sunt igitur suboles idem quod nos „Generationen“ dicere solemus. Iam vero haec interpretatio num convenit nostro loco? Sermo est de apium imperatoribus seu regibus futuris, quorum partus prohibetur, si tuberculum, quo regiae eorum eminent, exprimatur. Sed hoc si accidat, non plures, non posteriores quoque suboles pereunt, sed una suboles perit, quae est eorum regum, in quorum cellis illud accidit. Itaque pluralis numerus non cadit in hunc locum.

Quid igitur? Vidimus vocem *suboles* et codicis M auctoritate et Pliniana loquendi consuetudine in suspicionem vocari eandemque sine sententiae damno posse exulare: quare num dubitabimus, quin ea profecta sit ab interpolatore, qui *suboles* inserto orationis perspicuitati consulere sibi videretur?

Eadem de causa in suspicionem mihi venit XII, 5, ubi Plinius vulgo traditur scripsisse: *Gallias hanc primum habuisse causam superfundendi se Italiae, quod Helico ex Helvetiis civis earum, fabrilem ob artem Romae commoratus, ficum siccam et uvam oleique ac vini promissa remeans secum tulisset.* A quibus discrepat cod. M, in quo deest *civis,* nec videtur mihi hoc verbum a librario festinante neglectum esse, sed postea id in orationem illatum esse credibilius est propterea quod eius absentia non modo tolerari potest, verum etiam planissime convenit Pliniano dicendi generi. Primum enim quo referamus *earum,* quod Galliarum loco est? Ad *civis?* At „civis Galliarum“ dici

---

*subolis,* id quod Sillig. genetivum partitivum habet provocans ad IV, 112 ubi similiter legitur: *Graecorum subolis omnia.* XVII, 65 *paucorum in hoc genere rami parcunt suboli.* XVIII, 38 *praeterquam subole.* XI, 75 *subinde renovatur multitudo subole.* XVII, 65 *pullulante subole densa.* XIII, 59 *sucum auferente subole.*

nequit, quia Galli omnes non una continebantur civitate, sed universa Gallia in complures partes divisa erat — unde etiam pluralis „Galliae" a Plinio positus est, ut recte animadvertit Urlichsius — et singulae eius nationes, quae lingua, institutis, legibus inter se differebant (cfr. Caes. B. G. I. 1), plures civitates complectebantur; poterat igitur Helico fortasse civis Helvetius appellari, Galliarum civis appellari non poterat. Hoc autem voluit Plinius sine dubio designare, Helvetios, quorum civis Helico erat, partem sive nationem Gallorum esse, unde mecum collegeris, *earum* recte cum *Helvetiis* coniungi ita, ut genetivo indicetur Helvetios Galliarum esse sive ad Gallias pertinere; est igitur genetivus partis, quem necesse non est in ellipseon numero habeas cum Grasbergero p. 11 vocabulum aliquod omissum cogitatione supplente: cf. Bernhardy. Paralip. synt. Graec. p. 63 *τῆς Ἀττικῆς ἐς Οἰνόην* Polyb. IV, 57, 5. *εἰς Σελλασίαν τῆς Λακωνικῆς* Polyaen. III, 11, 6. Exstat autem is usus — ut taceam Caesaris illud *Lutetia Parisiorum* vel B. G. I, 10, 5 *fines Vocontiorum ulterioris provinciae*, ubi Held. complura eius generis exempla ex Xenophonte attulit — in naturali historia sat multis exemplis, ut XII, 109 *Ascalone Iudaeae.* XVIII. 201 (Hesiodus) *scribebat in Boeotia Helladis.* XVI, 71 *in Olympo Macedoniae.* XV, 15 *Decapoli Syriae.* ib. 18 *circa Emeritam Lusitaniae.* XXI, 19 *Carthagine Hispaniae*, et alia exempla praebet Grasb. l. l. Altera est quaestio, unde pendeat *ex Helvetiis.* Ut paucis dicam, mihi videtur simpliciter cum *Heliconis* nomine coniungendum esse, de qua ratione nemo mecum luctabitur, qui locos consideraverit quales sunt Cicer. Brut. 46, 169 *Atque etiam apud socios et Latinos oratores habiti sunt Q. Vettius Vettianus e Marsis, quem ipse cognovi.* Plin. VIII, 54 *pastoris e Gaetulis.* VII, 53 *Vibius quidam e plebe.* VIII, 158 *Centaretum e Galatis.* XXXV, 20 *Turpilium equitem Romanum e Venetia nostrae aetatis*, in quibus omnibus hominum origines praepositione *ex* simili modo significantur; cfr. Grasb. p. 65. Quae si recte disputata sunt, quid faciamus vocabulo *civis?* Non reperies, quo referas: nimirum otiosum est et redundans, quumque ei repugnet auctoritas codicis praestantissimi, non dubitabimus eicere advenam legitimae rationis expertem.

XII, 35, ubi Ianus cum Silligio edidit: *Arbor nigra est (est nigra,* a d), *magnitudine oleae, folio roboris* cet., nec minus XII, 61 *praecipua autem gratia est mammoso* cum M delenda vi-

detur copula *est*, qua facillime carere possumus apud Plinium, qui in quavis fere pagella eiusmodi ellipsis multa prodidit exempla: quorum placet proferre aliquot forte obvia, veluti XIII, 104 *magnitudo ei* (est), *quae piro* (est). XI, 25 *mira* (est) *observatio operis*. ibid. *mira* (est) *munditia*. IX, 28 *nec modus exemplorum* (est). ibid. 126 *reliquom corpus sterile* (est). Cfr. Grasberg. p. 11 sq. Sillig. ad XXXVII, 70. Fels. p. 54. Atque ut *est* ita etiam infinitivus *esse* saepe omittitur; vide notam 28: quapropter obsequendum est auctoritati librorum M R, qui XIII, 21 exhibent: *in M. Ciceronis monumentis invenitur unguenta gratiora quae terram quam quae crocum sapiant*, ubiincertum quos codices secuti Silligius et Ianus *esse* post *gratiora* inseruerunt.

Item subditicio additamento laborant verba *maiore etiamnum miraculo, quod tot infossi duraverunt*[17]) *annis*, quae leguntur XIII, 85. Hoc loco M non exhibet verba *tot* .. *annis* atque etiam cod. R *tot*, cod. d *annis* omisisse Sillig. adnotavit; sed videntur mihi hoc loco collationes eius mancae esse et incertae ac fortasse utrumque verbum in utroque codice deest. Haec autem verba ab interpolatore addita esse, pronum est suspicari; etenim quominus casu ea omissa esse arbitremur, vel id obstat, quod verborum collocatione separata sunt et diversam sedem obtinent, ita ut bis aberrasse librariorum oculos putandum esset. Praeterea sententiarum quoque natura et connexus aperte declarat, ea non adeo necessaria esse, ut si abessent iacturam sentiremus; Plinius enim Cassio Hemina auctore narrat, Cn. Terentium scribam agrum suum in Ianiculo repastinantem effodisse arcam, in qua Numa rex situs fuisset et libri eius chartacei reperti essent: hos igitur libros eo tempore, quo inventi essent, annos DXXXV duravisse. Qua in re duabus causis Plinii admiratio movetur: primum enim mirabile videri debet, quod libri per tantum temporis

[17]) A Sillígio et Iano, qui coniunctivum *duraverint* scripserunt M R a r secuti, recessi praeferens indicativum, qui est in d $\beta$ $\gamma$. Namque Plinius postquam ea quae Cassius Hemina de Numae libris in agro effosso repertis prodidit, oratione obliqua narravit, illa verba suam ut declararet admirationem apposuit, non autem Heminae narrationem continuavit, unde sequitur, non posse ea verba coniunctivo posito ad orationem obliquam adstringi.

spatium integri manserunt, deinde vero etiam [18]) maius est miraculum, quod infossi duraverunt, quoniam charta terrae humore facile depravari et deleri solet. Perspicuum igitur est, in voce *infossi* omnem vim et nervum sententiae constare, in *tot annis* non item; haec altera autem admirationis causa quum iis verbis describatur, de quibus agimus, verba attrectata nullo sententiae incommodo expungi possunt nec vereor, ne cum codice M ea damnans audacius agere videar.

Etiam graviore interpolatione affecta sunt, quae XIII, 90 in omnibus fere editionibus exstant sic conformata: *Aethiopia Aegypto contermina insignis arbores non fere habet praeter laniferas, quarum natura in descriptione Indorum atque Arabiae dicta est.* In hac textus forma, cui nullus optimorum codicum favet, criticorum nemo, quod sciam, adhuc offendit; ac quod Silligius vulgatam scripturam non deseruit, potest excusabile videri, quoniam codices a d omiserunt quidem *natura in descriptione,* sed certam emendandi viam non monstrant, at quod Ianus quoque, cui rescripti codicis M usus patuit, hunc locum tanquam integrum servavit nec quidquam mutavit aliud nisi *laniferas,* pro quo ex M recte *liniferas* substituit, id vehementer mirandum est. Ac primum quidem *liniferam,* quod M exhibet, scribendum esse, evidenter demonstrant verba: *propior tamen huic natura lanae,* quae dicta esse non possent, si arbor ea, de qua Plinius loquitur, lanigera esset; praeterea eo loco, ad quem respicit (XII, 38. 39), de arboribus sermo est „ex quibus vestis pretioso linteo faciunt" ibidemque legitur: „Iuba circa fruticem lanugines esse tradit linteaque ea Indicis praestantiora." Deinde vero enunciatio relativa, quae huic verbo adnexa est, plane deformata est ab interpolatore, qui Plinium dicentem faciat, liniferarum arborum naturam in descriptione Indorum atque Arabiae dictam esse. At hoc verum non est; nam in libris quinto et sexto, in quibus Indorum atque Arabiae terrae et gentes describuntur, illarum arborum mentio inicitur nulla. Quamobrem verba, ut vulgata sunt, non possunt recte se habere, sed manifestum est, verbis *natura in descriptione,* quae communi codicum M a d testimonio

---

[18]) Plinius l. l. usurpavit *etiamnum,* quae particula comparativo adiuncta idem valet quod *etiam,* ut XI, 255. XIII, 76. XIV, 44.

damnantur, resectis locum restituendum esse, qualis in codice rescripto nobis servatus est: *praeter liniferam, qualis Indorum atque Arabiae dicta est.* Quae equidem sic intellego, ut verbo esse, quod ubi ex verbis „dici, narrari, tradi, putari, intellegi" et similibus aptum est, saepe a Plinio omittitur [19]), tacite suppleto *Indorum atque Arabiae* pro genetivis possessionis accipiam, quibus eam arborem harum gentium propriam et peculiarem esse indicetur. In his omnia egregie inter se concinunt et dilucide designatur locus ille, quem iam supra apposui, nam XII, 38. 39 de arboribus liniferis Indiae et Arabiae a Plinio expositum est.

Duo sunt loci, quos corruptos non haberem et cum editoribus intactos relinquerem, nisi cod. M verba quaedem eici iuberet; nempe XIII. 107 *Est autem eodem nomine et herba et in Aegypto caulis in palustrium genere; recedentibus enim aquis Nili riguis provenit similis fabae caule foliisque densa congerie stipatis, brevioribus tantum gracilioribusque, [cui] fructus in capite papaveri similis incisuris omnique alio modo; intus grana ceu milium* et XIII, 110 *Radicem lotos [haec] habet mali cotonei magnitudine* verba uncis inclusa in M desunt et insuper *haec,* quod altero loco fertur, etiam a S T d omissum est. Iam nihil sane in his verbis inest offensionis et potest casu factum esse, ut interciderent, at non quaeritur, possintne ea verba scripta ferri, sed potius possintne omissa ferri, nam codice M crisis tanquam fundamento inniti debet eiusque scripturam, ubicumque fieri potest, strenue tueamur necesse est, et recte contra Ianum monuit Fels. p. 25: „Verum enimvero quid tandem fidei auctoritatisque illorum (deteriorum) codicum testimonio adrogabimus adversus eum codicem, quem alioqui lectionum praestantia magnopere eos vincere cognovimus? An mirabimur, inter tot mutationes passim etiam tales inveniri, quae facili adridere possint?" Itaque quum certis argumentis evinci nequeat, illa verba ad sententiam plane necessaria esse, addita ea esse putabimus a librario, qui orationis membra apte coniungere sibi visus est.

[19]) Exempli causa vide XI, 247 *Ungues clausulae nervorum summae* (esse) *existimantur.* XVI, 234 *Vita arborum quarundam inmensa* (esse) *credi potest.* X, 3 (Phoenix) *aquilae narratur magnitudine* (esse) Cfr. Grasb. pp. 12. 13.

XIII, 118 in descriptione arboris, quae euonymos vocatur, legimus *fert siliquas, sesamae similis;* sic enim adhuc ab omnibus editoribus vulgatum est, pro quo quum M praebeat *fert siliquas sesames,* oritur quaestio, sitne *similis* interpolatione natum. Et profecto si hoc vocabulum scribae errore praetermissum esset, mirum foret nec cum Pliniana consuetudine consentaneum, quod adiectivum *similis* regeret genetivum, quamquam de similitudine externae formae sive speciei agitur: nam in hac re Plinius cum ceteris scriptoribus dativum ponere consuevit: XXVII, 94 *folium .. aneso simile.* 128 *Radix costo nigro similis.* 115 *harundini tenerae similis;* cfr. ibid. 113, 121, 125, 138; sic etiam XIII, 18 *non absimilis Punicae arbori.* XXVII, 26 *ascyron non absimile est hyperico.* Genetivi exemplum mihi innotuit nullum praeter XXXIV, 149, ubi Sillig. et Ianus ex B V R d scripserunt: (ferrum) *aceto aut alumine inlitum fit aeris simile,* sed fieri facile potuit, ut genetivus nasceretur ex dittographia literae *s* (dativum *aeri* habent h $\beta$ $\gamma$), quemadmodum Ianus XII, 58, ubi in M est *radicis simile,* recte cum R T posuit *radici.* VIII, 155 (Caesaris equus traditur) *similes hominis pedes priores habuisse* huc non pertinet, sed sic videtur recte explicari, ut breviter dictum sit pro „similes hominis pedibus." Alia exempla dativi leguntur infra in cap. II, not. ad XIII, 116. Hoc igitur obstat ei, qui *similis* tueri volet, nisi forte putamus, literam *s*, qua terminatur *sesames,* inde ab initio vocis *similis* avulsam adhaesisse dativo *sesame* minus recte scripto pro *sesamae.* At haec ratio ut nimis artificiosa est, ita caret probabilitate, ac multo est credibilius, Plinium scripsisse *siliquas sesames,* quod satis aptam habet interpretationem, quum breviter dictum sit pro siliquis talibus, quales sesame fert. Sic plene dictum est XXVII, 93 *Idaeae herbae folia sunt quae oxymyrsines,* sed illa breviloquentia quum mirabilis videri non possit, tum saepius a Plinio usurpata est, velut XIII, 117 *folio piri.* 124 *thapsia .. foliis feniculi.* XXII, 53 *Genera* (anthemidis) *tria flore tantum distant, palmum non excedentia, parvis floribus rutae* cet. XXVII, 28 *Ambrosia .. foliis rutae circa imum caulem.* XXVI, 72 *Raphanos agria iuncos duos tris spargit in terra rubentis, foliis rutae, radix cepae, sed amplior.* XXVII, 93 *Hypecoon in segetibus nascitur foliis rutae.* XXVI, 85 *Hypericon .. oleraceo frutice, tenui, cubitali, rubente, folio rutae.* XXVII, 126 *Polyrrizon folia habet myrti.* ib. 113 *Polygonum .. foliis rutae, similis gramini.* 116

*huic quoque spissandi natura, sapor mali cotonei.* 115 *Tertium genus uno caule, densis geniculis et in se infarctis, foliis autem piceae.* 118 *Pancratium .. foliis albi lili, radice bulbi magni.* 119 *Peplis .. ex una radice tenui fruticat foliis rutae* et multis locis aliis; cfr. 121 bis. 126. 131. 133. 138 ter. Addo etiam locos, quos Ianus in Iahnii annal. tom. 83, p. 285 significavit: VIII, 95 *hippopotamus .. ungulis binis quales bubus, dorso equi et iuba et hinnitu.* XIII, 60 *pomum .. inclusum amygdalae putamine.* Quae quum ita sint, mihi persuasum est, *similis* additamentum esse semidocti librarii, qui quum genetivi rationem non intellegeret, orationi claudicanti succurrendum esse putaret.

Quae XIV, 5 vulgo leguntur: *postquam senator censu legi coeptus, magistratum ducemque nihil magis exornare quam census* cet., per se spectata nec falsa nec perversa sunt, sed quum M *magis* non praebeat, consultius arbitror cum Felsio, qui hanc vocem apte e dittographia verbi *magistratus* repetiit (p. 27), *magis* expungere, praesertim quum omisso hoc adverbio Plinii in reprehendendo gravitas augeatur et verba illa maiore cum acrimonia dicta sint et indignatione.

XIV, 64 vulgata lectio, quam post Silligium etiam Ianus retinuit, est haec: *Ad tertiam palmam venere Albana* (vina) *urbi vicina, praedulcia ac rara in austero.* Haec recte se habent omnia exceptis verbis *urbi vicina,* quae quum in M desint, interpolatori tribuenda erunt. Nec vero iusta vacant suspicione; quonam enim consilio censes ea vinis Albanis addita esse? Vina Albana inde nomen traxerunt, quod in agro Albano, qui in Latii finibus situs erat, crescebant; alia autem vini genera hoc nomen non habebant, nam Albania, quae in ora Caspii maris erat (cfr. VI, 36 sq.), vinum non procreabat, certe id a Plinio nullo loco commemoratum est. Quare quum verendum non esset, ne diversa vinorum Albanorum genera inter se permutarentur, quid causae Plinio esse poterat, ut additamento illo vina Albana accuratius denotaret? Praeterea neque supra (XIV, 25 et 30) neque infra (XXIII, 30 et 35), quibus locis Albani vini mentio fit, Plinius simili locutione usus est, qua permutatio praecaveretur, quamquam si primo loco, in quo illud vinum commemoratur, ea verba adiecta essent, nemo haberet cur miraretur. Cur igitur Plinius ea vina, de quibus iam antea exposuit et quae propter ipsam

vicinitatem Romanis — a Romanis autem legi voluit naturalem historiam — sine dubio notissima essent, tali significatione affecisset? Sed ut Plinium illa verba non decent, ita cadunt in interpolatorem, qui et doctrinae suae specimen aliquod edere et legentium commodo prospicere vellet.

XIV, 135 Silligius sic edidit: *Aperire* (scil. dolia, quibus vinum conditur) *vetant nisi sereno die, vetant austro flante lunave plena.* In his molesta offendit tautologia, nam quum dolia aperiri iam in universum vetitum sit una dierum serenorum exceptione, quid opus est singillatim adicere etiam austrum flantem et lunam plenam, quae quidem iis, quae antecedunt, comprehenduntur? Quam offensionem iure removit Ianus, qui cum M alterum illud *vetant* damnans scripsit: *nisi sereno die, austro flante lunave plena.* Sed nondum plane emendatus est, locus, in quo ille immerito servavit *ve* particulam encliticam a M omissam, quam non video cur contra optimi codicis auctoritatem retineamus necesse sit. Quam si delemus, trimembre prodit asyndeton, quod tantum abest ut displiceat, ut a Pliniana oratione non videatur alienum esse. Etenim continuo in paragrapho insequenti, ubi de eodem argumento exponit, simili modo dixit: *Campaniae nobilissima* (vina) *exposita sub divo in cadis verberari sole, luna, imbre, ventis aptissimum videtur.* XV, 31 *E lilio et alibi fit sub divo, sole, luna, pruina maceratum.* VIII, 30 *Hoc iis* (elephantis) *pro cauda, iuba, villo est.* Quin etiam duo nomina saepe *ἀσυνδέτως* enumerat, id quod multis exemplis comprobavit Fels. p. 28, ut III, 60 *his iunguntur Falerni, Caleni.* XI, 212 *quaedam non pinguescunt, ut lepus, perdix.* XV, 27 *est enim brevis fruticosa.*

Nondum constat mihi iudicium de XV, 62: *deputari statim poma ac vitis .. praecipiunt .. caelo sereno aut siccis a ventis,* ubi M omittit *a* praepositionem, quam Silligius et Ianus ex d a receperunt; quamquam enim *a,* quod quomodo natum sit non habet satis commodum explicatum, aptam praebet sententiam, quum idem ac „post“ valeat (cfr. Sillig. ad XXXV, 198. Grasberg. p. 64), tamen non est cur ablativos absolutos *siccis ventis* respuamus, in quibus, si ab omnibus codicibus traditi essent, nemo sane offenderet. Premere nolo insolentem praepositionis collocationem, quacum quod conferam unum in promptu habeo exemplum XIII, 61 *confessa propter experimenta,* nam XIV, 98 *multis ante saeculis* huc non pertinet; sed ut scriptores Caesa-

rum aequales poetarum exemplum imitati multa in tralaticia et usitata verborum collocatione novaverunt, — de Tacito vide Nipp. ad. Ann. III, 74, 10; cfr. Lucret. VI, 1157 *limine in ipso,* ib. 1160 *noctem per saepe diemque.* 1210 *manibus sine pedibusque* — sic etiam Plinius praepositionem nomini apto saepe postposuit, ut XXXV, 77 *omnia ante.* XIII, 65 *pomum propter* et similiter II, 154. XI, 78. X, 115. XXXIV, 40. Cfr. Opitz. p. 15 [20]).

Nec minus dubitanter adscribo eiusdem libri verba statim insequentia (§ 63): *Quidam sic cum palmite in gypso condunt capitibus eius scillae infixis utrimque, alii etiam vina habentibus doliis, dum ne contingant ea uvae.* Sic Ianus cum Silligio; sed

[20]) Liceat mihi etiam alia eiusdem generis hic adicere, quoniam faciunt ad describendam Plinianam elocutionem. Etiam adverbium *multo,* quod praecedere solet, postponitur interdum: II, 31 *ante multo.* VII, 186 *ante non multo.* XVIII, 41 *largiores multo.* Similiter legitur XIV, 104 *mox paulo.* XI, 254 *sed minores paulo.* XVI, 53 *crassior iam.* XIII, 31 *herbisque etiam.* XIV, 44 *Catonum ille primus, triumpho et censura .. insignis, magis tamen etiamnum claritate literarum* cet. XXXII, 19 *quod magis miremur etiam,* ut recte Ianus distinxit. VIII, 5 *lecticis etiam,* 7 *ossa etiam.* In primis vero Plinius in aliquot particularum collocatione ab usu priorum solet recedere, sicuti XIII, 97 dixit: *Magna verum post has gratia* cet., ubi haec *verum* particulae collocatio codice M confirmatur, eodemque modo XVIII, 16 et 162 *verum* secundum locum obtinet, quos tamen locos Grasberg. p. 116 suspectos habet. Invicem XXII, 18 *vero* ab initio sententiae invenitur, nisi Grasbergero suffragandum erit *verum* suspicanti. *Itaque,* quod semper alioqui primam sedem tenet, secundo loco positum est XIII, 61. 100, quin etiam quarto loco legitur XVIII, 43 *Omnium sententiis absolutus itaque est.* Cfr. Senec. Nat. Qu. VI, 27, 3 *crassa itaque et gravi caligine* cet. Petron. Sat. 11 (Buech.) *risu itaque plausuque cellulam implevit.* Maxime vero memorabile videtur, quod *namque* particula multo saepius secundum quam primum enunciationis locum obtinet; in initio locatum inveni II, 80. XVII, 144. IX, 115 et paucis aliis, sed in altero loco legitur III, 17 *is namque complexam eum porticum* cet. III, 144. VIII, 12. 15. 96. 122. XIII, 84. XV, 40. 101. 120. XVI, 202. XVII, 96. 262. XVIII, 120. 216. 284. XXI, 26. XXV, 8. XXVI, 3. 11. XXXIV, 146. XXXV, 90. 109. XXXVI, 1. 48. 120. 127. XXXVII, 199. Cfr. Urlichs. Chrest. Plin. p. 215 ad XVI, 202. Semel tertio loco fertur: XVIII, 126 *Ante omnia namque cunctis animalibus nascuntur.* Eundem usum, quem Reisig. Schol. lat. § 268 p. 463 solis poetis vindicavit, etiam Tacitus adhibuit Dial. de or. 19 *vidit namque* .. Ann. I. 5 *acribus namque* ... Eiusdem generis est, quod Plinius dixit XVII, 193 *id etenim uvas supplantat.* *Quippe* particulae causali modo primam, modo alteram sedem in enunciatione concessit; illius usus 39, huius 24 exempla mihi praesto sunt.

quod dedit *in gypso*, parvam id habet fidem, quum M a *ipso*, d *gypso*, exhibeant. Iam ut *gypso* recte positum sit, tamen *in* praepositio omittenda est, quae nullius libri testimonio commendetur et in verbo *condere* non requiratur, id quod vel haec ipsa verba docent, in quibus *doliis* ablativus legitur; nam triplicem habet *condere* apud Plinium constructionem: primum iungitur cum *in* praepositione accusativum regente, ut XIII, 48 *in cados conditur:* XII, 132. XIV, 105, cui structurae ibi maxime locus est, ubi simul movendi actio indicatur, ut VIII, 133 (irenacei) *mutationem aquilonis in austrum condentes se in cubile praesagiunt:* deinde ponitur *in* cum ablativo, ut XV, 21 *olivas condi optime* .. *vel virides in muria vel fractas in lentisco;* denique solo ablativo construitur, ut XIII, 99 *virides terra condunt barbari;* 106 *doliis condi;* ib. 19. XIV, 132. Sed de ipsa voce *gypso* dubito, num tolerari queat. Scilicet res ipsa satis mira videtur et veri dissimilis; an re vera fit vel umquam factum est, ut gypso condantur uvae? Praeterea qua ratione explicabimus *sic?* Quo nonne aperte indicatur ille condendi modus, qui verbis antecedentibus ita est descriptus, ut „uvas cum malleolo sarmenti duro in dolio picato recenti suspendi excluso omni austro operculo et gypso" praecipiatur? Quamobrem si ex M a *ipso* restituamus, haec prodeat sententia, quosdam in tali dolio uvas cum palmite ipso condere capitibus eius scillae infixis utrimque; quae quidem habeatne aliquam probabilitatem viderint Rhenani et qui vinorum servandorum me sint experientiores.

XV, 29 ubi Silligius et Ianus non recesserunt a scriptura vulgata, quae haec est: *Et oenanthinum fit de ipsa oenanthe, ut dictum est in unguentis,* M et a non praebent *ut,* quod a quo libro traditum sit Silligius non adnotavit; et pluribus profecto causis in interpolationis suspicionem adducitur. Ac primum Plinianae orationi non convenit *de* praepositio verbo *fieri* sic adiuncta, ut origo alicuius rei designetur, nam quod Silligius § 30 incertum unde recepit: *fit et de aspalatho,* secundum M a T d a Iano recte *ex* pro *de* subsitutum est et XIV, 107, ubi Silligius *alii de calamo,* M *alibi calamo* habet, aut scribendum est: *alibi e calamo,* quia propter *c* literam *e* praepositio facile intercidere poterat aut codici M obediendum est, quum etiam nudus ablativus a Plinio ponatur ad originem vel materiam rei significandam: XIII, 55 *pelles candidae conficiuntur iis;* cfr.

Sillig. ad XXXV, 48. Longe frequentissimus vero est *ex* praepositionis usus, ut apparet ex multis exemplis, quae vel in proximis paragraphis facile est colligere: § 24 *quae ex arboribus fiunt; ex oleastro; ex chamelaea.* 25 *fit et e cici.* 26 *fit et e lauru.* 28 *fit et e citro; e glande Aegyptia ut fieret; Indi ex castaneis facere dicuntur.* 31 *E lilio .. fit; e pice fit.* Alia documenta creberrima sunt XIV, §§ 98—114. Alterum incommodum est, quod *ipsa* ratione caret, neque enim est, cui oenanthe hoc pronomine opponatur. Denique illo loco unguentorum descriptionis, ad quem Plinius legentes ablegat, non de oenanthino, cuius nulla ibi mentio fit, sed de oenanthe dictum est. Unde consequitur, ut cum Ma deleto *ut* totus locus interpunctione [2]) sic distinguendus sit: ***Et oenanthinum fit; de ipsa oenanthe dictum est unguentis.*** In hac enim orationis conformatione *de* aptum usum habet atque intellectum, et *ipsa* pronomini sua ratio constat, quum oenanthino opposita sit oenanthe, nec repugnat locus a Plinio laudatus.

XV, 5 Ianus cum Sillígio edidit: (oleum) *primum omnium*

---

[2]) Quoniam hoc loco mutanda erat interpungendi ratio, duorum locorum sponte admoneor ab editoribus minus recte distinctorum, quos breviter hic adnotare placet. XV, 15, ubi Plinius dicit: *nec magnitudine* (olivarum) *copiam olei constare, indicio sint quae regiae vocantur .. grandissimae, alioqui minumo suco,* non recte factum puto, quod Ianus *alioqui* divulsit a *grandissimae* adiectivo, sed arte ea colliganda sunt, quod *alioqui* concessivam aliquam vim habet et tota sententia circumlocutione sic explicanda est: olivae regiae, quae alioqui grandissimae sunt sive quamquam grandissimae sunt, minumo tamen sunt suco. Quapropter post *alioqui* comma ponere malim, praesertim quum verborum collocatio inusitata non sit, nam simili modo *alioqui* adiectivo suo postpositum est locis his: IV, 95 *nuda alioqui corpora.* X, 84 *candidam alioquin.* XXXIII. 17 *libertino patre alioqui natus.* VIII, 122 *innoxius alioqui.* Quintil. XII, 10, 16 *Asiana gens tumidior alioqui atque iactantior.* Alterum locum emendatum adscribam interpositis nonnullis quae structurae explanandae inserviant: XIV, 112 *E fruticum vero genere cedri utriusque, cupressus, laurus, iunipiri, terebinthi, calami, lentisci bacae aut lignum recens in musto decocuntur, item* (scil. decoquitur) *chamelaeae et chamaepityis, chamaedryis lignum. Eodem modo et ex flore* (sc. fit vinum), *in congium musti decem denariorum pondere addito.* Quo magis probetur iunctura illa verborum *chamelaeae et chamaepityis, chamaedryis lignum,* iuvat conferre XV, 30 *hyascymo et lupinis, narcisso. Calami* Hermolai Barbari coniecturam recepi, Sillig. et Ian. habent *in Gallia,* ab Harduino inventum, quod quibus argumentis commendetur mihi incompertum est; (*callen,* M; *challin,* ac; *callini,* T; *callim,* d).

*e cruda atque nondum inchoatae maturitatis.* Genetivi igitur qualitatis *nondum inch. mat.* adiectivi vice funguntur ad olivae nomen omissum referendi. Et talis profecto structura sat crebri usus est apud Plinium, qui ut substantivo nomini locutionem per genetivum vel ablativum vel per praepositionem formatam adnectit participio non addito [22]), sic etiam omittit substantivum regens, ubi ex sententiarum connexu intellegi potest, quo pacto illam dicendi brevitatem consecutus est, qua Graecis per articulum praepositum uti licet: velut XII, 133 *Omnis autem* (oenanthe) *ex alba labrusca praestantior quam e nigra.* XV, 24 *tenue id* (oleum) *multoque amarius quam oleae* (oleum), et paulo infra: *simillimum huic est* (oleum) *ex chamelaea.* ib. 28 (oleum) *et Cyprinum et e glande Aegyptia.* 31 *probatum maxime* (pissinum) *e Bruttia (τὸ ἐκ τῶν Βρουττίων).* ib. 27 *simile est* (oleum) *e myrto nigra.* His autem locis omnibus substantivum regens, quod supplendum est, nominativo casu positum est: hoc tamen loco, de quo agimus, aptum est ab *ex* praepositione, quae quidem structura durior est quam crebrior nequedum alio loco a me observata. Minus insolentem huius sententiae restituemus conformationem, si codicis M auctoritatem secuti, quae confirmatur etiam testimoniis codicum a d, praepositionem *e* deleverimus: tum enim eam sic intellegere possumus „habendi" verbo suppleto: „primum omnium (habet) cruda atque nondum inchoatae maturitatis"; aut *cruda* pro ablativo absoluto, qui dicitur, accipi potest, quippe in quo multa sibi Plinius in-

[22]) Huius usus, quem Reisig. Schol. Lat. § 341, Haas. adnot. 512, Zumpt. § 681, Madvig. § 298. p. 276 tractaverunt, apud Plinium exempla sunt II, 9 *per illas solis cursus.* 27 *adsidua quaestio de Deo.* 102 *rerum naturae pugna secum.* III, 46 *digestio in literas eiusdem* (divi Augusti). V, 112 *Miletus Ioniae caput super XC urbium per cuncta maria genitrix.* VII, 142 *cognomen a Macedonia,* ubi Ian. *reportatum* inserere vult; XXXV, 77 *graphice in buxo.* 76 *Ulixes in rate.* Insignis breviloquentia conspicitur in his, quae sunt de canibus, qui caeci geniti nonnullis diebus post partum visum accipiunt: VIII, 151 *quidam tradunt, si unus gignatur, nono die cernere, si gemini, decumo, itemque in singulos adici totidem tarditatis ad lucem dies,* ubi substantivum constructum est ad similitudinem adiectivi *tardus* (ad lucem aspiciendam). Alia exempla permulta collegit Sill. ad XXXIII, 73. Cfr. Grasberg. p. 53. Vellei. I, 14, 7 *sub adventum in Italiam Hannibalis.* II, 29, 1 *sub adventum in Italiam Lucii Sullae.* II, 17, 3 *legatio sub Mario.*

dulgeat: „primum omnium fit cruda (oliva) atque nondum inchoatae maturitatis." Quod recte fieri docent apertissime verba plane eodem modo dicta: § 21 *oleum quam acerbissima oliva optumum fieri,* quae me movent ut etiam XV, 29, ubi vulgo est: *Inopia cogit aliquando hominum causa et e platani bacis* (oleum) *fieri aqua et sale maceratis,* cum M *e* omittendum esse censeam.

VII, 84 cursorum incredibilis patientiae exemplis prolatis sic pergit Plinius: — — *non ignoramus nuper Fonteio et Vipstano consulibus annos octo genitum a meridie ad vesperam LXXV M passuum cucurrisse.* Ita codices R d, quibus quidem, quum meliores desint, in libro septimo primae partes tribuendae sunt; Ianus autem Roberti Crikeladensis Deflorationem Plinianam et Solinum (*octo annos puer natus* ed. Momms. p. 27, 9) et editiones $\beta\gamma$ secutus *genitum puerum* recepit, ut vox *puerum* in codice archetypo, ex quo R et d fluxerunt, librarii neglegentia praetermissa esse dicenda sit. Quaeritur autem, quo iure contra librorum R d fidem Roberti et Solini testimoniis obtemperatum sit. Iam Roberto Crikeladensi, qui duodecimo saeculo Oxoniae totam Plinii naturalem historiam in novem libros contraxit, quantum auctoritatis contra codices tribuendum sit, satis luculenter ex eo apparet, quod ipse in Deflorat. Plin. praefatione confitetur: „in margine, inquit, ubi necessarium putavi super iis maxime quae obscura vel gravia (!) ad intelligendum proponantur, ingenioli mei qualemcumque capacitatem communicavi, nullum praeiudicium doctioribus faciens;" atque exstat etiam additamentum e margine in ipsa Plinii verba transgressum in apographo Guelferbytano Deflor. VII, 179, ubi Robertus ad vaticinia vetusta a Plinio commemorata addidit: „sed his vaticiniis non credendum, cum saepius falsa sint" (cfr. Sillig. praef. p. XLII). Solinus autem, qui, ut epitomator, genuinam Plinii orationem modo detrahendo compescuit, modo addendo amplificavit, semper variavit et „Plinium quasi scriptorem iusto simpliciorem loqui docuit tumide et perplexe et insipide" (Momms. p. IX) codicis loco minime haberi potest, sed coniectura ex narratione eius eliciendum est, qualia ipse Plinii verba legerit; qua in re summam nobis cautionem suadent „ridiculi magistelli errores," quorum Momms. l. l. nonnullos persecutus est. Quamobrem nisi ex sententiarum natura et ex usu Pliniano certo effici poterit, *puerum* non posse ab hoc

locis abesse, non erit cur codicum Rd auctoritati diffidamus. Hoc vero effici adeo non potest, ut illius substantivi absentia cum Pliniana consuetudine prorsus congruat. Ac primum huius loci sententia non necessario requiri *puerum*, facile mihi concedetur, nimirum qui annos octo genitus est, eum puerilem aetatem agere quivis sponte intellegit. Ex sermonis autem legibus argumentum peti non potest, quo *puerum* inserendum esse comprobetur; familiare est enim Plinio, participia et adiectiva sine nomine adiuncto ita usurpare, ut substantivi instar aut pro enunciatione relativa posita sint; ac frequentissima quidem sunt, ut apud ceteros scriptores (vid. Madvig. § 425 a. 301 a.), exempla numeri pluralis: sic participium perfecti legitur VII, 136 *Balbus Cornelius .. primus externorum atque etiam in oceano genitorum* i. e. eorum qui in oceano geniti sunt. VII, 190 *quaeve genitis quies umquam?* XXI, 13 *De floribus supra dictos scripsit Theophrastus apud Graecos.* VIII, 42 *leone concepti.* Quin etiam in ablativis absolutis cum altero participio coniunctum est: VII, 161 *non fere ita genitis LIV annum excedentibus.* Saepe participium neutrius generis sic usurpatur: VII, 156 *ut ad confessa transeamus,* II, 189 *his caelestibus nexa causis.* II, 163 *intus recepta.* XI, 200 *concoctione maturata.* ib. 75 *maius quam supra dicta.* XXIII, 28 *efficacius .. quam supra dicta.* XXXIV, 88 *omnia praedicta.* Saepissime vero praesentis temporis participium positum est, ut IX, 43 *pilo carentium duo.* X, 199 *unum animal digitos habentium.* VII, 165 *hoc etiam iisdem horis nascentibus .. evenit.* XI, 5 *nullis carentibus.* ib. 203 *aegre parientibus.* 205 *cursorum laborantibus;* cfr. 204. 206. 208. 199. 197. II, 13 *Hunc* (solem) *principale naturae regimen ac numen credere decet opera eius aestumantes.* IX, 16 *nec piscium branchias habentes.* Adiectivorum iam Grasb. p. 21 sq. nonnulla exempla composuit, quibus addere licet: II, 110 *effigies, in quas digessere caelum periti;* et sic *periti* XI, 16. VI, 99. XII, 83. XXXVI, 19; *prisci* XXIII, 40. XXV, 1. XXVII, 1; *prisci nostri* XXVIII, 13; *priores* XI, 13. XXXV, 10 praef. 17; *diligentiores* XI, 35. XIII, 131. XIV. 82. 128. XV, 45. XVIII, 131; denique XXIX, 17 *apud inperitos expertesque linguae.* XXXV, 11 *insertis voluminum suorum fecunditati septingentorum inlustrium aliquo modo imaginibus,* ubi complures libri deterioris notae interpolationem *nominum* praebent, Ianus *virorum* olim inserere voluit. Verum etiam singularis numeri, quem nominativo et accusativo casibus

perraro sic usurpatum esse dicit Madvig., nonnulla exempla apud Plinium reperiuntur, quamquam Grasbergerus p. 20 confitetur, se „nihil eius generis potuisse invenire quale esset illud Senecae Dial. II. 5, 3: *Malum nisi turpe nullum est, turpe autem ad honestis occupatum pervenire non potest.*“ Nam ut omittam VII, 89 *legentis modo*, quid dicamus de VII, 150, ubi de Augusto dicitur: *In summa, deus ille caelumque nescio adeptus magis an meritus herede hostis sui filio excessit?* Nonne participia *adeptus* et *meritus*, quae *deus* nomini *que* particula adnexa sunt, locum obtinent enunciationis talis: „ille qui nescio adeptus magis an meritus sit caelum?“ Planissime vero conveniunt illi loco, unde excurrimus, loci hi: VII, 90 *Ictus lapide oblitus est literas tantum. Ex praealto tecto lapsus matris et adfinium propinquorumque cepit oblivionem;* nam haec participia nullo pacto aliter circumscribere poteris quam ut dicas: „homo, qui lapide ictus est“ (similiter Solinus p. 30, 7) et „qui ex praealto tecto lapsus est.“ Eiusdem generis est, si recte se habet, illud quod consentientibus codicibus R$\Theta$TdSr Harduinus, Silligius, Ianus VII, 144 receperunt: *bonis inde etiam consecratis a damnato suo,* quod sane corruptum putaverunt Ruhnken. ad Vell. I, 11, Sillig. in adnotatione ad h. l., Urlichs. Vindic. Plin. p. 129, sed quum Plinius [23]) tale participium genetivo apposito determinaverit, velut XXXIII, 63 *invento regum*, XXXV, 10 *Asini Pollionis hoc Romae inventum*, VIII, 182 *Thessalorum gentis inventum est*, et VII, 191 *quae cuiusque inventa sint* (pro quo Td *quae a quocumque inventa sint*, Robertus autem et r et codices Barbari interpolatam lectionem *quae cuiusque scientia inventa sint)*, quumque a participio adiectivi societatem non alienam esse compluribus documentis comprobetur (cfr. Reisig. § 224, XXXV, 9 *non est praetereundum et novicium inventum,* 11 *benignissimo invento*, contra XVII, 162 *inventu novicio*), nonne

[23]) Etiam apud Ciceronem huius usus exempla inveniuntur, de quibus vide Baumstark. in Iahnii annal. tom. 87. p. 362; is enim nonnullos locos attulit, in quibus participio, quod verbali natura non exutum esse adverbiis appositis indicatur, tamen etiam genetivi adiunguntur, ut Cicer. Lael. 2 *multa Catonis et in senatu et in foro vel provisa prudenter vel acta constanter vel responsa acute ferebantur:* id. de inv. I, 16 *in odium adducentur adversarii si quod eorum superbe, crudeliter, malitiose factum profertur.* Hos et alios locus, collegit Baumstark., ut probaret, Cic. Brut. § 30 *refellere eorum instituta solebat verbis* coniungendum esse *verbis* cum *instituta*.

fieri possit, ut etiam pronomen possessivum cum participio coniungatur? Ac si „meum inventum“ dicere licet id quod a me inventum est, dici fortasse poterit „damnatus suus“ h. e. is qui ab eo damnatus est. Participiornm neutrius generis exempla praebet praeterea Fels. p. 30 haec: XI, 122 *peculiare datum,* M codicis auctoritate commendatum; ib. 159 *rapto viventibus adunca* (labra), *collecto recta.* XIV, 110 *fiunt .. circa radices vitium sato.* II, 247 *improbum ausum.* His ego exemplis innixus, quorum etiam maiorem copiam in Plinio suppetere confido, verba *octo annis genitum* sine nomine apposito tolerari posse ideoque *puerum* a Plinio ipso non profectum, sed in iis codicibus, in quibus legitur, interpolatione natum esse arbitror.

Eidem Roberto debetur interpolatio, exigua illa quidem, sed non praetereunda VIII, 1: *Maximum* (animalium terrestrium) *est elephans proximumque humanis sensibus, quippe intellectus illis sermonis patrii et imperiorum obedientia officiorumque quae didicere memoria, amoris et gloriae voluptas, immo vero, quae etiam in homine rara, probitas, prudentia, aequitas, religio quoque siderum solisque ac lunae veneratio.* Hic quum solus Robertus praebeat *officiorumque quae,* R *officiorum que,* d *officiorum quae,* facile intellegitur, diplomatica ratione non commendari *que* particulam copulativam, nec difficilius est intellectu, eandem non modo non esse necessariam, sed etiam magis accommodatam esse asyndeticam membrorum iuncturam ad huius loci conformationem; itaque Plinii verba hoc additamenta liberanda erunt.

## 3.

Quum hi loci, de quibus modo disputavi, tum permulti alii, quos Felsius in commentatione sua tractavit, hoc testatum faciunt, codices etiam secundi ordinis nonnumquam interpolatorum industriam ita expertos esse, ut nisi meliora instrumenta critica nobis suppeterent, glossemata in textum illata non animadverteremus. Unde sponte consequitur hoc praeceptum, ut ne in iis libris, ubi non licet MBA duces certissimos sequi, tenaces simus scripturae tralaticiae, si complures causae concurrant satis idoneae, quae verba aliqua suppositicia habere suadeant. Cui quidem sententiae id quoque favet, quod et Pliniana elocutione et naturalis historiae argumento interpolandi libido facile poterat excitari.

Nam, ut hoc paulo uberius exponam, Plinii elocutio ea est, ut dicendi brevitate aut exquisita orationis structura interdum obscuritatem quandam habeat et vel attentis lectoribus difficultates paret. Est sane confitendum, non posse Plinium in eorum numero referri, quorum in genere dicendi potissima virtus et proprietas uno brevitatis nomine satis describatur; neque enim ulli omnino scriptorum generi simpliciter adscribi potest, quum materia operis sui „diffusi, eruditi nec minus varii quam ipsa natura“ [24]) ita ferret, ut non unam orationis formam parem sibi ubique et aequalem haberet, sed diversis locis quasi diversi colores darentur multique sui plane dissimiles essent. Sed hoc tamen omnibus fere locis elucet studium quam plurimas res brevissime describendi usque adeo, ut nonnumquam vel ad aridam nominum enumerationem descendere non vereatur. Scilicet quum Plinius „utilitatem iuvandi“ praeferens „gratiae placendi“ (cfr. prf. § 16) id maxime ageret, ut doctrinae thesauros, quos congesserat, ordine dispositos et in orbem contractos expromeret, factum est, ut in narrando plerumque instaret sibi et veloci stilo per vastam materiam percurreret [25]) nec tam eloquendi venustati, quam sententiis et recte et stricte presseque pronunciandis operam daret. Hinc est, quod res ipsas indicasse contentus multa, quae ut necessaria non erant, ita ad perspicuitatem et ad legitimam formam orationis inserviebant, praetermisit, veluti copulam *est* vel *sunt* innumeris locis omisit et in constructione accusativi cum infinitivo subiectum, ubi ex antecedentibus intellegi potest, saepe non posuit [26]) et verbo *esse* non adiecto,

---

[24]) Caecil. Plin. ep. III, 5, 6.

[25]) Quam ob rem in universum non adhibet ampliores verborum ambitus apte et numerose iunctos conclusosque, sed minuta potius cola: cui orationis formae accommodatior est Iani interpungendi ratio, quam qua Silligius usus erat.

[26]) Huius omissionis de plurimis nonnulla certe exempla proponam XXXII, 5 *limaci magnae similem esse dicunt* (eum). ib. 9 (leporem marinum) *in India adfirmant non capi viventem* cet. *Esse autem multo ampliorem sicuti reliqua animalia.* ib. 14 (murenas) *animam in cauda habere certum est.* XXXV, 25 *Deinde video* (picturas) *et in foro positas* (esse) *volgo.* XI, 5 *itaque vivere* (insecta) *ut fruges arboresque.* ib. 190 (Divo Augusto sacrificanti) *responsum* (est) *duplicaturum* (eum esse) *intra annum imperium.* VI, 85 *cum diversae imagines indicarent* (denarios esse) *a pluribus factos.* ib. 140 *id mirum est aestu*

ubi sententia poscebatur (cfr. Grasb. pp. 12. 13), brevem vel etiam abruptam fecit orationem; hinc est quod concinnitatis legum incuriosus inaequalitatem quandam et duritiem orationis admisit, quae vel ad neglegentiae speciem accedat, et structuris interdum usus est, quas vel apud poetas iure audaciores dixeris [27]. Aliis vero locis non narrandi festinatione utitur, sed ipsius rei gravitate abreptus adsurgit et maiore cum spiritu pronunciat sensus, quibus animus movetur, sive parentis naturae sapientiam vel benignitatem admiratur sive Italiae Romanorumque laudes laeto animo celebrat sive mortalium vanos errores, luxuriam, avaritiam aliave vitia acerbe perstringit. Quos ad locos ubi quasi ad quaedam eloquendi deverticula confugit, quibus attritum minutarum rerum narratione ingenium reparatur, ad sententiosum dicendi genus se accommodat, quaerit hic illic cogitandi argutias vel etiam lusum quendam verborum nec respuit rhetoricorum artificiorum ornatum [28] nec colores poeticos; interdum etiam enunciationes artificiose

---

*longe ultra id accedente non percussas* (esse terras). ib. 180 *fuit quondam et Epis oppidum, antequam Bion deletum* (id esse) *scriberet.* VII, 69 *exitio civitati, in quam delata esset, futuram* (eam esse), *responso haruspicum vaticinante.* ib. 91 *scribere et legere simul dictare et audire solitum* (eum esse) *accepimus.* ib. 110 *miruntibusque tum magis* (eos) *fuisse miraturos dixit* cet. „Miram et singularem substantivi omissionem“ Grasbergerus p. 9 adnotavit: VII, 159 *In Tmoli montis cacumine quod vocant Tempsim CL annis vivere Mucianus auctor est,* ubi tamen Ianus *homines* intercidisse suspicatur. De aliis ellipseos generibus disputatum est diversis locis huius disputationis et persecutus ea est Grasb. pp. 8—20, qui maximam partem libelli sui „brevitati dicendi“ dicavit.

[27]) Unum eius generis exemplum ponam, quod equidem invenerim, maxime insigne: VIII, 134 ubi de irenacei necandi ratione agitur: *adprehensusque pes alter e posterioribus suspendiosu fame necat.* Quem tamen locum Ianus mutilatum et corruptum suspicatus coniectura sic mutavit: *adpr. pes alter e post. * * suspendiosus fame necatur.* Lacunam quidem fortasse recte statuerit; at audax illa adiectivi traiectio in Plinio vix videtur intolerabilis esse; cfr. exempla infra ad XIV, 30 allata.

[28]) Talibus locis saepe Plin. exclamationis formam adhibet; in primis vero insignis est usus a n a p h o r a e, quam tamen figuram etiam aliis locis ponit, in quibus non cum generosa animi elatione loquitur. Habes exempla nonnulla: II, 13. 14. 18. 21. 22. 102. 113. 155. 174. 207. VIII, 32. 91. 111. 143. 146. IX, 102. 104. X, 51. 80. 81. 140. 146. XI. 2. 96. 208. 250. 271. XII, 1. XIII, 49. 134. XV, 75. 76. XVI, 159. XVIII, 3. XXIII, 40. XXIX, 19. al.

sibi subiungit et implicat, ut satis impedita et contorta evadat elocutio. Cuius rei illustre exemplum est epistola illa nuncupatoria ad Titum Vespasianum data, in qua quum familiari quadam audacia imperatorem adloqui et facetam iocosamque orationi speciem induere constituisset, perquam impedite locutus est et sententias per se simplices ita sibi innexit, ut interpretibus satis molesta negotia facessiverit. Talis igitur quum sit oratio Pliniana, fieri facile poterat, ut vir doctus aliquis et Plinii et legentium commodo recte prospicere sibi videretur, si loco, in quo orationem mutilam esse et hiatu quodam laborare putabat, vocem aliquam insereret aut loco propter structuram non vulgarem parumve expeditam ad intellegendum difficili explicationis causa in margine nonnulla adscriberet, quae postea in ipsum textum immigraverunt. Huius generis pleraque sunt ex glossematis supra tractatis; praeterea XIII, 19 Rad inseruerunt *est* in verbis: *tanto utilius;* in iisdem quasi complendae orationis causa XIII, 31 *mas [in] palmite floret* addita est *in* praepositio et similiter *in* bis addunt Rd XIII, 38 *[in] Aegypto . . . [in] ternos.* XX, 89 *Epicharmus testium et genitalium malis hanc* (brassicam) *imponi,* ut indicaretur, unde penderet constructio accusativi cum infinitivo, vulgo *adserit* addebatur, quod in ad non est: cfr. Grasb. p. 17, qui „verba narrandi, dicendi, affirmandi insequente statim auctoris alicuius sententia a Plinio saepissime omissa esse" exemplis demonstravit, quibus adde etiam VII, 12. 13. 16. 17. 23. 24. 25. 27. 28. 30. 51. VIII, 36. XXXIV, 132 codex h addidit *est* in verbis: *eademque efficacior ulceribus* idemque solus exhibet *prodest* XXXIV, 153 (robigo) *sistit et feminarum profluvia inposita velleribus, plagis quoque recentibus vino diluta et cum murra subacta condylomatis ex aceto [prodest],* sed, ut Silligius animadvertit, dativus haud raro apud Plinium invenitur, ubi morbis avertendis factum esse aliquid dicitur, ideoque *prodest* ab editoribus reiectum est. XXXIV, 156 BVRd *candidum* perspicuitatis causa repetiverunt. VII, 162 *accedunt experimenta recentissimi census* adscripsit aliquis glossam *exempla,* quam librarius codicis R, dubius fortasse utra vox genuina sit, in textum intulit, unde codicum Rezzon. scribae *experimenta et exempla* finxerunt. VII, 81 nunc legitur: *Corpore vesco, sed eximiis viribus Tritanum* cet. (fuisse . . auctor est Varro); pro rariore adiectivo *vesco*, quod corruptum erat in codicibus (*utesco,*

ubi sententia poscebatur (cfr. Grasb. pp. 12. 13), brevem vel etiam abruptam fecit orationem; hinc est quod concinnitatis legum incuriosus inaequalitatem quandam et duritiem orationis admisit, quae vel ad neglegentiae speciem accedat, et structuris interdum usus est, quas vel apud poetas iure audaciores dixeris [27]). Aliis vero locis non narrandi festinatione utitur, sed ipsius rei gravitate abreptus adsurgit et maiore cum spiritu pronunciat sensus, quibus animus movetur, sive parentis naturae sapientiam vel benignitatem admiratur sive Italiae Romanorumque laudes laeto animo celebrat sive mortalium vanos errores, luxuriam, avaritiam aliave vitia acerbe perstringit. Quos ad locos ubi quasi ad quaedam eloquendi deverticula confugit, quibus attritum minutarum rerum narratione ingenium reparatur, ad sententiosum dicendi genus se accommodat, quaerit hic illic cogitandi argutias vel etiam lusum quendam verborum nec respuit rhetoricorum artificiorum ornatum [28]) nec colores poeticos; interdum etiam enunciationes artificiose

---

*longe ultra id accedente non percussas* (esse terras). ib. 180 *fuit quondam et Epis oppidum, antequam Bion deletum* (id esse) *scriberet.* VII, 69 *exitio civitati, in quam delata esset, futuram* (eam esse), *responso haruspicum vaticinante.* ib. 91 *scribere et legere simul dictare et audire solitum* (eum esse) *accepimus.* ib. 110 *mirantibusque tum magis* (eos) *fuisse miraturos dixit* cet. „Miram et singularem substantivi omissionem" Grasbergerus p. 9 adnotavit: VII, 159 *In Tmoli montis cacumine quod vocant Tempsim CL annis vivere Mucianus auctor est*, ubi tamen Ianus *homines* intercidisse suspicatur. De aliis ellipseos generibus disputatum est diversis locis huius disputationis et persecutus ea est Grasb. pp. 8—20, qui maximam partem libelli sui „brevitati dicendi" dicavit.

[27]) Unum eius generis exemplum ponam, quod equidem invenerim, maxime insigne: VIII, 134 ubi de irenacei necandi ratione agitur: *adprehensusque pes alter e posterioribus suspendiosu fame necat.* Quem tamen locum Ianus mutilatum et corruptum suspicatus coniectura sic mutavit: *adpr. pes alter e post.* * * *suspendiosus fame necatur.* Lacunam quidem fortasse recte statuerit; at audax illa adiectivi traiectio in Plinio vix videtur intolerabilis esse; cfr. exempla infra ad XIV, 30 allata.

[28]) Talibus locis saepe Plin. exclamationis formam adhibet; in primis vero insignis est usus a n a p h o r a e, quam tamen figuram etiam aliis locis ponit, in quibus non cum generosa animi elatione loquitur. Habes exempla nonnulla: II, 13. 14. 18. 21. 22. 102. 113. 155. 174. 207. VIII, 32. 91. 111. 143. 146. IX, 102. 104. X, 51. 80. 81. 140. 146. XI. 2. 96. 208. 250. 271. XII, 1. XIII, 49. 134. XV, 75. 76. XVI, 159. XVIII, 3. XXIII, 40. XXIX, 19. al.

sibi subiungit et implicat, ut satis impedita et contorta evadat elocutio. Cuius rei illustre exemplum est epistola illa nuncupatoria ad Titum Vespasianum data, in qua quum familiari quadam audacia imperatorem adloqui et facetam iocosamque orationi speciem induere constituisset, perquam impedite locutus est et sententias per se simplices ita sibi innexit, ut interpretibus satis molesta negotia facessiverit. Talis igitur quum sit oratio Pliniana, fieri facile poterat, ut vir doctus aliquis et Plinii et legentium commodo recte prospicere sibi videretur, si loco, in quo orationem mutilam esse et hiatu quodam laborare putabat, vocem aliquam insereret aut loco propter structuram non vulgarem parumve expeditam ad intellegendum difficili explicationis causa in margine nonnulla adscriberet, quae postea in ipsum textum immigraverunt. Huius generis pleraque sunt ex glossematis supra tractatis; praeterea XIII, 19 Rad inseruerunt *est* in verbis: *tanto utilius;* in iisdem quasi complendae orationis causa XIII, 31 *mas [in] palmite floret* addita est *in* praepositio et similiter *in* bis addunt Rd XIII, 38 *[in] Aegypto . . . [in] ternos.* XX, 89 *Epicharmus testium et genitalium malis hanc* (brassicam) *imponi,* ut indicaretur, unde penderet constructio accusativi cum infinitivo, vulgo *adserit* addebatur, quod in ad non est: cfr. Grasb. p. 17, qui „verba narrandi, dicendi, affirmandi insequente statim auctoris alicuius sententia a Plinio saepissime omissa esse“ exemplis demonstravit, quibus adde etiam VII, 12. 13. 16. 17. 23. 24. 25. 27. 28. 30. 51. VIII, 36. XXXIV, 132 codex h addidit *est* in verbis: *eademque efficacior ulceribus* idemque solus exhibet *prodest* XXXIV, 153 (robigo) *sistit et feminarum profluvia inposita velleribus, plagis quoque recentibus vino diluta et cum murra subacta condylomatis ex aceto [prodest],* sed, ut Silligius animadvertit, dativus haud raro apud Plinium invenitur, ubi morbis avertendis factum esse aliquid dicitur, ideoque *prodest* ab editoribus reiectum est. XXXIV, 156 BVRd *candidum* perspicuitatis causa repetiverunt. VII, 162 *accedunt experimenta recentissimi census* adscripsit aliquis glossam *exempla,* quam librarius codicis R, dubius fortasse utra vox genuina sit, in textum intulit, unde codicum Rezzon. scribae *experimenta et exempla* finxerunt. VII, 81 nunc legitur: *Corpore vesco, sed eximiis viribus Tribulanum* cet. (fuisse .. auctor est Varro); pro rariore adiectivo *vesco*, quod corruptum erat in codicibus (*utesco,*

R. *ut escos*, d), sedulus aliquis librarius coniecturam in margine posuit: nam Kr habent *nervosos esse*, Rob. *nervosi esse produntur*. XXXV, 71 *Fecundus artifex, sed quo nemo insolentius usus sit gloria artis* voluit aliquis vocem *insolentius* adscripta glossa *arrogantius* explicare ideoque V N² *insolentius et arrogantius* praebent. Ibid. 111 *Adnumeratur his et Nicophanes elegans ac concinus, ita ut venustate ei pauci conparentur*, N²β habent: *ita ut vetusta opera pingeret propter aeternitatem rerum impetuosi animi et cui pauci conparentur*. Denique praef. § 8 ad verba: *Lucilius qui primus condidit stili nasum* addunt abdTPΔηλ hanc adnotationem: *quasi abusionem et vituperationem; primus enim satiricum carmen conscripsit, in quo utique vituperatio uniuscuiusque continetur. Nasum autem dixit, quod vituperationis signum vel maxime naso declarandum.*

Iam vero alteram causam, qua probabile fiat interpolatorum libidinem in Plinio grassatam esse, positam esse dixi in naturalis historiae argumento. Etenim quod Plinius in his libris componendis sibi proposuit, ut posteritati opus relinqueret, quod quum universam rerum naturam ac tanquam totius mundi orbem comprehenderet, quasi ἐγκυκλοπαιδεία quaedam haberetur (cfr. praef. § 14), id ita perfecit, ut non modo cunctarum rerum, quae in mundo exstant, naturas describeret, non modo mundi ambitum, solem, lunam, terram, cetera sidera itemque animalia, plantas, metalla tractaret, verum etiam multas observationes ad hominum vitam et mores pertinentes, multas narratiunculas ex populorum historia petitas, quae ei in copiosissimis suis excerptis ubique praesto erant, narrationi intexeret. Viginti milia rerum dignarum cura dicit in praef. § 17 lectione voluminum circiter duum milium ex exquisitis auctoribus centum inclusisse se illis triginta sex naturalis historiae libris, adiectis rebus plurimis, quas aut ignoravissent priores aut postea invenisset vita. Quapropter nonne lectori, qui aliis quoque scriptoribus antiquis pervolutatis aliquam antiquitatis scientiam teneret, permulti occurrebant loci, qui rebus a Plinio narratis adhortarentur eum rerum similium? Et quid mirum, si tale doctrinae suae specimen margini adspersit? Aut si adnotandis, quae scitu iucunda videbantur, Plinii divitias etiam augendas esse putavit? Sic in praefationis § 10 sententiae illi: *Adeo summum quisque causae suae iudicem facit quemcumque cum eligit* assuta sunt haec: *unde provocatio appellatur,* quae

Silligius et Urlichsius iure glossatori alicui attribuerunt, Ianus tamen tanquam genuina retinuit. Huius generis alia exempla multa animadvertit Urlichsius in Vindiciis Plinianis, velut VI, 2 *unde nomen ambobus*, ubi nominis alicuius origo indicatur, aut praef. 18 *id est nocturnis;* II, 32 *id est laevum;* 131 *hoc est sine fulmine;* 151 *bruma vero* [*id est brevissimis*], ubi vox aut res aliqua breviter explicatur, aut VI, 61. 62. 63. *in quibusdam exemplaribus diversi numeri reperiuntur* et simil., ubi librarius exemplaria sua inter se dissentire adscripsit. Aliae interpolationes cernuntur in nominibus propriis, in quibus quum saepissime peccaretur, interpolatorum doctrinae latissimus campus patuit; sic VII, 26 prior manus in R recte scripsit *Aiacen Timomachi,* pro quo altera manus coniecturam posuit *iacent monomachi;* librarius vero codicis d, quum literarum ductus expedire non posset, procreavit monstrum illud *aia centhi monarchi.* Ibidem § 73 pro genuina scriptura *in Creta terrae* Θ exhibet *merita incrementa terrae.* Illustrissimum vero deprehendimus exemplum XXXV, 18, ubi BN *Gaius princeps,* RTd *Caius princeps,* V *Gatus princeps,* habent. Huic scripturae adnotavit in margine aliquis *potius legatus princeps,* quod in cod. h in textum irrepsit: unde natum est *Pontius legatus princeps,* quod in pδϱψ legimus, quam denique scripturam cum genuina conglutinaverunt $N^2\beta$ scribendo *Pontius legatus Caii principis.* Eiusmodi vero interpolandi industriae Plinium expositum fuisse, haud scio an etiam multo probabilius faciat accuratior fatorum, quae Plinius habuit, cognitio: nam si certo demonstrari possit, quod Momms. edit. Solini praef. p. XXI coniecit, „exstitisse post Plinium, qui eius naturae historiam ad chorographiae formam redigeret et ita redactam excerptis aliorum auctorum chorographorum et chronographorum ampliaret,“ textum Plinianum illo tempore plane incolumem mansisse vix credibile fuerit.

Quae omnia in unum colligenti hoc mihi persuasum est, ubi glossemata idoneis argumentis convinci possint, nos non debere recentiorum codicum auctoritate retineri, quin ea eiciamus.

Hanc autem de interpolationibus e Plinio removendis sententiam uno excepto Urlichsio non amplexi sunt qui adhuc Plinii textum artis criticae regulis adstringere conati sunt. Nam ut taceam de Harduino, qui glossemata inveniri conces-

sit, sed non invenit, Silligius, qui praef. p. XLVIII lacunarum messim largiorem vix apud ullum alium scriptorem Latinum inveniri contra liberum fere se tenuisse Plinium censet glossematis, perpauca e textu eiecit et multa, quae iustae suspicioni obnoxia esse in adnotationibus recte dixit, quum librorum auctoritate firmari viderentur, resecare non ausus est; quocum in universum consentit Ianus, qui nonnulla delevit, nonnulla uncis inclusit, sed nullam fere ex iis interpolationibus, quas Urlichsius in Vindiciis Plinianis indagasse sibi visus est, agnovit. Urlichsius enim liberiorem rationem secutus in praefatione Plinii et in libris II—XIV, triginta quinque locos obelo appicto notavit, quorum nonnulla iam supra exempli causa commemoravi. Idem postea hanc suam sententiam in Disputatione critica de numeris et nominibus propriis in Plin. nat. hist. Wirceburgi 1857 p. 18 adstipulante Detlefsenio (in Iahnii ann. tom. 77. p. 669) sic confirmare studuit, ut glossemata ad eruditum fere grammaticum referenda diceret, qui munus libros corruptos emendandi saeculo quarto post Chr. n. suscepisset: quod quidem etiamsi in medio relinquendum sit et in singulis locis ut ille non semper verum viderit, hoc tamen recte statuisse videtur multo pluribus locis, quam Silligio et Iano visum est, Plinii libros ab interpolatoribus foedatos esse. De huiusmodi interpolationum exemplis nonnullis nunc exponam.

Atque e scriptura male intellecta nata est interpolata lectio XXX, 18, ubi Plinius se ipsum vidisse narrat Apionem grammaticum et magum, qui Homeri umbram contenderet a se evocatam esse *ad percontandum, quanam patria quibusque genitus esset, non tamen ausus profiteri, quid sibi respondisse diceret.* In hac enunciatione *diceret* ratione sua carere, vel primo obtutu unusquisque intellegit et prorsus adsentiendum est Silligio dicenti, haec verba quo sensu dicantur se non intellegere et multo simplicius Plinium et sententiae aptius scribere potuisse: *quid sibi respondisset.* At idem quod coniecit, pro *diceret* fortasse reponendum esse *videretur*, in textum recipere dubitavit, itemque Ianus a loco aperte depravato manus abstinuit. Equidem non mihi videor violentae delendi et mutandi licentiae indulgere, si *diceret* eiecto *respondisset* scribendum censeo, quum satis facilem habeat explicatum huius depravationis origo: nonne enim veri est perquam simile, librarium codicis archetypi invenisse dittographiam *respondisset* *disset*

atque ex ea non perspecta finxisse lectionem absurdam, quam nunc legimus ceteris codicibus propagatam?

Glossema latere suscipor VII, 116, ubi Plinius postquam Graecorum et Romanorum ingenio illustrium varia exempla enumeravit, ad Ciceronem transit laudibus impense celebrandum: *Innumerabilia deinde sunt exempla Romana, si persequi libeat, cum pluris una gens in quocumque genere eximios tulerit quam ceterae terrae. Sed quo te, M. Tulli, piaculo taceam quove maxume excellentem insigni praedicem? quo potius quam universi populi illius gentis amplissimo testimonio, e tota vita tua consulatus tantum operibus electis?* In his offendimur molestissima illa genetivorum cumulatione *universi populi illius gentis,* quam tolerari posse vehementer dubito num quisquam certis iisque non artificiosis rationibus possit evincere. Eo certe nemo, opinor, confugiet, ut dicat distinguere Plinium voluisse populum a gente ita, ut populus pars aliqua praecipua gentis esset et ii tantummodo populi appellatione comprehenderentur, quibus civitate utentibus ad aliquam rei publicae partem accedere liceret, et populi vocem hoc loco eandem habere significationem honorificam atque in formula illa solemni *Senatus-populusque Romanus.* Hanc igitur distinctionem nemo argumenti instar proferet, quoniam nullo modo liquet, cur eam huic loco Plinius adhibuerit; nam locutione hac, quae est *gens Romana,* quam in hoc capite compluries, alias perraro usurpavit, nihil aliud quam populum Romanum significare voluit nec potuit de discrimine aliquo, quod in re publica cerneretur, indicando cogitare. Nec magis alia huc pertinet gentis et populi distinctio, qua scriptores Latini genti latiorem, populo angustiorem notionem tribuunt ita ut una aliqua gens pluribus populis constare dicatur atque gens et populus in Latina lingua pariter inter se differant atque in nostro sermone „Volksstamm" et „Völkerschaft." [29]) Quum igitur nullam eiusmodi distinctionem in nostrum locum quadrare

[29]) Hoc cognoscitur ex iis locis, quos congessit Drakenborch. ad Liv. V, 34, 5, quorum nonnullos apponere placet. Dicit Vergil. Aen. X, 201 *Gens illi* (Mantuae) *triplex, populi sub gente quaterni, Ipsa caput populis,* unde intellegitur, duodecim populos comprehensos fuisse tribus gentibus; neque aliter Ovid. Met. II, 215 *Cumque suis totas populis incendia gentes In cinerem vertunt.* Liv. IV, 49, 3 *Simul Aequos triennio ante accepta clades prohibuit Volanis, suae gentis populo, praesidium ferre.* Ibid. 56, 5 *Caput rerum Antiates esse:*

in propatulo sit, interpretatione non removeri potest pleonasmus ille, quem dixi valde molestum esse. Etenim quum omnino mirabile admodum videri debet, Romanum scriptorem, ubi de Romanis agi non modo ex universo sententiarum nexu et ordine intellegatur, verum etiam planis verbis dictum sit, ad populi appellationem adicere additamentum aliquod, quo de Romanis eam dici indicetur, tum maxime hoc loco in apostrophae figura plane intolerabiles sunt genetivi *illius gentis* additi: nam quid potest magis ineptum excogitari, quam Plinium, ubi Ciceronem ipsum adloquitur, velut si obscuri quid haberet sola et simplex populi commemoratio, significandum sibi esse putavisse, universum populum esse partem illius gentis Romanae in antecedentibus celebratae? Quae offensio effugit Silligium, qui pleonasmum intactum reliquit; sensit eam, sed non removit apto modo Ianus, quippe qui *illius gentis* appositionem intellegendam esse interpungendi ratione indicaverit; Urlichsius vero, qui in Vindic. Plin. p. 128 hunc locum tentavit, verba *universi populi* tanquam a recto loco remota post verba enunciationem nostram antecedentia *quam ceterae terrae* transposuit, ut haec verba unam efficerent locutionem, ac ne quis de hoc adiectivi *universi* usu plurali dubitaret, in auxilium vocavit XXV, 82, ubi tamen paullo diversa significatione legitur: *invenere herbas et universae gentes;* nam universae gentes opponuntur singulis hominibus, quum nostro loco: *plures una gens* (Romana) *in quocumque genere eximios* (viros) *tulit quam ceterae terrae* [*universi populi*] hi uni genti opponantur. Sed in hoc adiectivo non haereo nec premo, quod mihi probabile est Plinium *ceterarum terrarum* dicturum fuisse, quum singularem ibi tantum, ubi de terra tanquam sidere vel mundi parte dicit aut ei quasi numen quoddam induit, sed plerumque pluralem ponat, ubi eam singularum gentium intellegit sedem ac domicilium; neque enim

---

*eorum legatos utriusque gentis populos circumisse.* VI, 12, 4 *Aut non ex iisdem semper populis exercitus scriptos, quamquam eadem semper gens bellum intulerit.* Valer. Max. IX, 1, 6 *Gentis Aegyptiae populus.* Contrarium reperimus usum ap. Iustin. VII, 1 *Adunatis gentibus variorum popolorum,* ubi *populus* vim latiorem, *gens* angustiorem habere videtur. Huic tamen non simile est, quod apud Servium ad Verg. Aen. VII, 176. IX, 603 al. Varro *de gente popul Romani* libros scripsisse dicitur, nam dubium esse non potest, quin Varro *gentem* eadem significatione posuerit atque *originem.*

improbarem ego illam transpositionem, qua scite et tollitur pleonasmus neque sententia turbatur, nisi remaneret aliquid offensionis eius, quam supra significavi, scilicet pronomine *illius* Ciceronem in apostrophae figura remitti ad ea, quae antea dicta sunt. Etiam gravius vero est, quod quum „testimonium“ appelletur „amplissimum,“ carere omnino non possumus adiectivo *universi,* in quo omnis sententiae vis posita sit et amplissimi testimonii accommodata explicatio contineatur. Quamobrem mihi multo magis videtur probabile esse, exterminanda esse verba *illius gentis* ab interpolatore olim addita, qui genetivos *universi populi* pro se solos positos non satis intellegi stolide ratus glossa illa adscripta de gente Romana paulo ante commemorata dictos eos esse significare voluit.

Ex simili fonte maluerim quam ex Pliniano stilo derivare verba *ex Italia,* quae leguntur XXXIV, 59 *Vicit eum* (Myronem) *Pythagoras Rheginus ex Italia pancratiaste Delphis posito.* Adiecta sunt haec verba ad adiectivum *Rheginus,* nam aliter, si quid video, coniungi nequeunt. Iam non dubito equidem de structura grammatica, quam tametsi primo adspectu vix Latini sermonis videri potuerit, Plinio non infrequentem esse exemplis supra p. 28 probatum est. Sed huius additamenti consilium offensionem habet, quod aliud esse non potest nisi ut qua in terra Rhegium oppidum situm esset significaretur. At cuinam, quaeso, lectori id Plinius indicare debebat? praesertim quum in ipsa nat. hist. saepius huius oppidi mentio facta esset. Nec vero hoc Rhegium distingui necesse erat ab alia urbe cognomine: nam talis nusquam a Plinio commemorata erat. Denique ne illud quidem in causa esse poterat, ut Italis blandiretur: nam Pythagoras Rheginus non minus natione Graecus erat quam, qui deinceps nominatur, Pythagoras Samius ceterique statuarii Graeci, quorum opera hoc libro enumerantur. Nullam igitur invenio causam, qua additamentum illud ipsi Plinio attribuere cogar. At contra multo magis redolet industriam lectoris vel librarii posterioris saeculi his verbis adnotatis Pythagorae patriam accuratius describentis.

Denique VII, 187 interpolatione adulteratum esse Pintianus perspexit, qui Silligio teste ultima eius paragraphi verba: *Sepultus vero intellegatur quoquo modo conditus, humatus vero humo contectus* spuria habuit. Quae Pintiani sententia quamquam nec Sillugii nec Iani adsensum nacta est, certis tamen, ut

mihi videtur, et gravibus argumentis comprobatur. Qua enim de re agit Plinius? De duplici more, quem Romani in mortuorum corporibus curandis sequebantur; atque priscis ea temporibus terra condita, postea cremari coepta esse narrat. Hoc toto loco quum nec sepeliendi neque humandi verbi ullum exstet vestigium, qui fieri potuit, ut Plinius abrupte transiret ad haec verba explicanda? Cui credibile videri potest, eum sic continuasse orationem, ut duorum verborum, quibus usus non esset, significationes inter se distingueret? Nihil profecto movere eum potuit, ut brevem illam observationem grammaticam in fine sic adiceret, ut adiectam legimus. Porro quales Plinius lectores cogitatione praecepit, quum conscriberet naturalem historiam? Nimirum Romanos, qui Latinae linguae adeo periti erant, ut tali verborum explanatione non egerent. Omnia igitur refragantur Plinium illorum verborum auctorem habentibus: contra docti alicuius librarii vel grammatici, qui doctrinae suae specimen literis mandare vellet, sedulitati sinistrae ea deberi, satis clare arguere videtur tum inepte bis posita particula *vero*, qua sententiarum nexum quendam efficere voluit, tum coniunctivus ille iussivus *intellegatur*, qui ad eos, qui postea hunc locum lecturi essent, recte edocendos spectat. Possumus autem etiam fontem indicare, ex quo hausisse interpolatorem doctrinam suam verisimile est; meminisse enim videtur illorum, quae Cicero de Legib. II, 23 dicit: *et quod nunc communiter in omnibus sepultis ponitur ut humati dicantur, id erat proprium tum in iis, quos humus iniecta contegeret*, ubi Cicero iisdem fere verbis usus sepeliendo universam quandam et generalem, humando angustiorem significationem vindicavit.*)

---

*) Quum praefationem non scripserim, qua lectores benevoli, si qui huic libello contigerint, de eius origine ac causa certiores fiant, hoc loco liceat mihi indicare, hanc partem me consensu ampl. philos. ordinis academiae Vratislaviensis hoc anno ut dissertationem inauguralem edidisse et publice defendisse; reliqua capita ut simul in publicum prodeant, liberalitati debeo bibliopolae amicissimi, qui sua sponte obstetricias manus praebuit.

# CAPUT ALTERUM.

## De locis ex codicibus optimis integritati restitutis.

Sequitur id quod erat propositum, ut de locis aliquot disputationem instituam, in quibus praestantissimorum librorum scripturam ab editoribus immerito repudiatam vindicandam et legitime restituendam esse censeo.

Disputandi autem exordium fiat ab eiusmodi locis, in quibus dispicere non potui, qua de causa Ianus — nam cum hoc potissimum mihi res est, quoniam novissimus Plinii editor exstitit — vetustissimorum codicum vestigia deseruerit. Quorum locorum etiam post Felsium, qui pp. 25—30 satis copiosum indicem eorum proposuit, nonnulli inveniuntur; nam qui fieri potuit, ut Ianus XI, 223 bonam verborum collocationem, quam M exhibet: *Volusio Saturnino, urbis praefecto, qui nonagesimum annum etiam excessit* postponeret ei quam Silligius recepit: *qui nonag. etiam excessit annum?* Neque enim necesse est particulam *etiam* referas ad *nonagesimum*, sed pertinet potius ad *excessit*, ut significetur senex, qui non modo attigit, sed etiam excessit nonagesimum annum. Itemque in Ind. ad libr. XII cum M *quando primum hebenus Romae visa,* non cum Silligio verborum sede mutata *Romae hebenus* scribere debebat, et quod M praebet XIII, 52 *nam quae durum, spinosum, acutum* (sc. folium) *habet, oxycedros vocatur,* multo praestat ei, quod Silligium secutus retinuit *durum acutum spinosum;* nam si quis ad designandam aliquam notionem pluribus verbis utitur, hunc in verbis deligendis et collocandis ordinem servabit, ut postremum quodque verbum rem subtilissime indicet ac quodammodo propriam eius notionem assequatur et exaequet; id autem hoc loco adiectivo *acutum* efficitur, quippe quod accuratissime respondeat Graeco illi adiectivo *ὀξύς*, a quo cedro nomen inditum est.

Simili modo codici rescripto M, qui *amputatoque* habet, Ianus fidem temere denegavit XI, 72 recipiens ex R d: *sed vespae muscas grandiores venantur, amputato iis capite reliquom corpus*

*auferunt*, ubi particula copulativa *que* respuenda non est, et XII, 84 scripsit: *minumaque conputatione miliens centena milia sestertium annis omnibus India et Seres paeninsulaque illa* (Arabia) *nostro imperio adimunt*, quamquam neque a *(paeninsulaa)* neque d *(paeninsula)* huic scripturae favent, et M *(et paeninsula)* plane refragatur. Verum haec omnia invito Iano typis expressa esse et ex Silligii textu transmigravisse videntur, quum in scripturae discrepantia ab eo non adnotata sint. Sed XV, 58 cur a Silligii lectione *praeter cotonea ac struthea*, cui patrocinantur MadΘ, recesserit scribendo *et* cum βγ, mihi aeque incompertum est quam cur XII, 98 non ex M receperit *adiecere* pro *addidere*, quod codicibus non nominatis Silligius posuerat. Cui simillimum est, quod XIV, 66 *is enim* (divus Iulius) *primus auctoritatem his* (vinis Mamertinis) *tribuit* cum Silligio scripsit pro *dedit*, quod in M est; nam *dedit* cur suspectum, *tribuit* cur non suspectum sit, non intellego: est enim veri similius pro *dandi* verbo, quod in tali locutione rarius est et minus elegans, *tribuere* positum esse a librario, quam contrarium factum esse; *dare* autem sic usurpatum non abhorrere ab usu Pliniano, probatur locis his: XIV, 64 *Tiberius dicebat, consensisse medicos ut nobilitatem darent Surrentino* (vino). XIII, 126 *Nero Caesar claritatem ei* (thapsiae) *dedit*. Praef. § 15 *Res ardua vetustis novitatem dare, novis auctoritatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubiis fidem, omnibus vero naturam et naturae sua omnia.* Eadem de causa nescio an XIV, 9 *vites iure apud priscos magnitudine quoque inter arbores numerabantur* defendi possit id, quod in M legitur, *nominabantur;* quamquam enim exempla ex Plinio desumpta mihi in praesentia non suppetunt, videtur tamen mihi Latine dici posse; veri autem est similius *numerandi* verbum usitatissimum (cfr. exempli causa XIV, 65. 86) expulisse verbum *nominandi* minus usitatum. Similis mutationis exempla exstant XII, 35 *laudatissimum* MR, *nominatissimum* adβγ. ib. 107 *appellant* MTa, *vocant* d; et multo plura invenies apud Felsium p. 101.

Lib. I ind. ad XI Ianus adsensus est Silligio, qui e codice a edidit: *Animal cui cibi exitus non est;* sed coniunctivus *sit*, qui optimorum codicum MRTd consensu commendetur, minime spernendus est, praesertim quum etiam eo loco, ad quem lemma illud pertinet, legatur: XI, 114 *Est animal eiusdem temporis, infixo semper sanguini capite vivens atque ita intumescens,*

*unum animalium cui cibi non sit exitus.* Coniunctivus autem legitimam habet causam et rationem, quum relativa enunciatio sic solvenda et circumscribenda sit: animal tale sive ita comparatum, ut ei non sit cibi exitus. Cfr. Zumpt. § 558.

Quod XI, 253 in Mdβγ legitur: *ut sinister pes non transeat dextrum,* nullam me iudice suspicionem movet, tamen Ianus genetivum *pedum,* quem R praebet, anteposuit, sicuti etiam XIV, 4 *regesque innumeri honore artium colebantur et in ostentatione has praeferebant opes,* ubi non est, quod accusativum *opes* testimonio codicis M munitum corruptum habeas, cum Silligio maluit scribere *opum* genetivum, qui unde petitus sit nescio, nam Tacd *opem,* r *opem et,* K *opes* exhibent. Ceterum hos genetivos non repugnaturos fuisse usui Pliniano, apparet ex iis, quae infra ad XI, 8 disputavi.

Neque vero mihi liquet, quid Ianum moverit, ut XII, 79 repudiata scriptura codicis M *ibi,* cui tanquam commendatio accedit, quod in d exstat *illi,* scriberet: *his commerciis Carra oppidum aperuere, quod est illis nundinarium;* frustra enim quaeres, quid sit quo *ibi* displiceat, *illis* autem quo referas non habes, quum non certi homines in antecedentibus nominati sint, sed in universum hoc loco mercatores intellegantur. — XIII, 100 nullo testimonio nixus, sed Silligium secutus contra M *in* praepositionem Ianus in textum introduxit: *cum praesertim* (Homerus) *eodem versu cedrum laricemque una tradat uri* (sic bene Salmasius pro *tradatur,* Mad), *in quo manifestum est de arboribus tantum locutum;* ubi ablativum absente praepositione ferri posse unusquisque videt. — Praepositionem cum Silligio mutavit XIV, 84, ubi nescio quo codice fretus dedit: *ab aliis ipse palmes inciditur in medullam,* quum Md habeant *ad medullam,* in quo quid habes quod reprehendas? — Etiam magis vero mirabile debet videri, quod Ianus quamquam scripsit XI, 233 *haec omnia habent binas mammas nec aliubi quam in feminibus,* VIII, 122 *nec aliubi toto corpore* (Rd), XII, 58 *aliubi area circumpavita* (sic M, *alibi* d), XIII, 56 *et Aegypto multa genera, quae non aliubi* (M), XIII, 129 *quoniam non aliubi vivit* (Maβγ), IX, 142 *aliubi cancer dapis adsectator* (R), X, 87 *nec usquam aliubi* (Rdβγ), XI, 33 *aliubi enim favi cera spectabiles gignuntur* .. *aliubi copia mellis* (*alibi* T), XI, 217 *aliubi interventu, aliubi ambitu, aliubi transitu ligantes,* — idem tamen XI, 198 contra

disertum codicis M testimonium cum Silligio retinuit *non alibi tenuiore humana cute.* Cfr. praeterea Fels. p. 79.

Huc pertinet etiam, quod VII, 121 Ianus praeeunte Silligio vulgati textus lectionem *queant* servavit, cuius verbi in iis codicibus, quibus in libro septimo crisin adstringi oportet, nec vola nec vestigium, sed habent R *poss—,* Td *possint,* ut dubitari nequeat, quin *possint* scribendum sit; nec praetereundum videtur esse, quod VII, 63 Silligii scripturam *appellaverunt,* firmatam illam quidem testimoniis R et Murbac., sine causa idonea — nam Td Rob. habent *appellavere* — aspernatus cum *βγ appellarunt* posuit: in his enim terminationibus, quas, quum scripturis compendio in libris scribi solerent, saepissime inter se confundi et permutari notum est, soli codicum auctoritati eo magis est obtemperandum, quum breviore an longiore terminatione utaris, apud Plinium nihil intersit et utraque promiscuo usu adhibeatur. Neque enim cadit in Plinium observatio illa, quam in Tacito Haasius (Diurn. antiqu. 1836 no. 84, adnot. ad Reisig. Schol. Lat. 269), deinde Wagnerus in Vergilio fecerunt de discrimine utriusque terminationis, quo plenior quae est in *erunt* ibi tantum usurpatur, ubi opus sit praesente quod dicimus actionis perfectae ac manifesta sit temporis praesentis cogitatio. Quod ut comprobem, insignia proferam exempla, in quibus utraque terminatio ita coniungitur, ut nullum significationis discrimen elicias: VI, 144 *Huc convenit utrumque bivium, eorum qui et Syria Palmyram petiere et eorum qui a Gaza venerunt,* itemque hae terminationes pari iure ac condicione positae sunt XXXV, 120 *Post eum fuere in auctoritate Cornelius Pinus et Attius Priscus, qui Honoris et Virtutis aedis imperatori Vespasiano Augusto restituenti pinxerunt.* Alius est locus XXXII, 4 (pisciculum) *invenere adhaerentem gubernaculo ostenderuntque Gaio,* ubi aurium gratia longior forma propter *que* particulam adnexam posita videtur esse; certe ego nullam formam inveni in *ereque* exeuntem, sed XVII, 5 *duraveruntque*, XXI, 6 *accesseruntque*, XXVI, 4 *adveneruntque,* XXIX, 6 *dissederuntque*, ib. 19 *perieruntque.* Et sic etiam apud Vell. Pat. I, 8, 3 *coeperuntque,* et apud Tacit. Agr. 6 *vixeruntque;* sed „Histor. I, 82 recte legitur in ed. Spir. *rediereque,* quod sane nemo putabit aurium gratia correctum esse; nec minus tamen aptum sit *redierantque*" (Haasius l. l.). Ceterum ut brevioris formae usus, a quo Cicero et post eum Quintilia-

nus paene abstinuerunt, apud scriptores Augusteae aetatis magis magisque increbuit, ita illa apud Plinium aliquanto crebriore usu est, quam plenior forma: nam ut exempla pauca numero inito proponam, libro II *ere* legitur locis 52, *erunt* 13, libro III *ere* 62, *erunt* 7, libro IV *ere* 28, *erunt* 7, libro V *ere* 42, *erunt* 4, libro VI *ere* 61, *erunt* 19, libro VII *ere* 58, *erunt* 13. A qua breviore terminatione ne ibi quidem abstinuit, ubi propter similem formae speciem perfectum et infinitivum praesentis inter se confundere pronum est, velut *ostendere* II, 88, *videre* II, 99. XXXII, 5, *bibere* XI, 223, *refugere* IV, 12, *vertere* III, 104, *deprehendere* II, 176, *defendere* II, 235. XII, 113, *excidere* XXXVI, 64, *intercidere* V, 122 bis. 137. XXXV, 53, *diruere* VI, 120. 123, *constituere* IV, 90, *instituere* IV, 91. XXXV, 10 et multa alia; cfr. etiam Roth. ad Tac. Agr. p. 280. Denique adicere liceat, in Plinio quidem locum non habere quod Madvigius Gramm. Lat. § 114a contendit, non posse omitti *v* literam in breviore terminatione: namque praeter *adhinnivere* XXXV, 95, *attrivere* XXXV, 150, *exquisivere* II, 109, *impedivere* III, 101 satis multa exempla inveniuntur *v* literae omissae, ut *iere* II, 18. V, 36, *obiere* VII, 180. 181. 184, *interiere* III, 70. 108. 114 bis. 125. 131. V, 117, *subiere* II, 76, *transiere* XXXVI, 189, *veniere* XXXV, 112, *desiere* II, 146, *finiere* II, 188. Itemque apud Pers. Sat. III, 106 *subiere;* Tacit. Agr. 37 *petiere;* Sall. Cat. 2, 8 *transiere.* Sed haec hactenus.

Redeuntes nunc ad locos, in quibus causa non perspicua Ianus a bonis codicibus recesserit, incidimus in XI, 38, ubi cur contra auctoritatem codicis M, contra libros Rd, quos ceteris locis nonnihili facit, denique contra constantem Plinii usum *serena die* scripserit mihi incompertum est: nisi forte de calami lapsu cogitandum erit vel de levi aliquo errore, qualem in tanto opere ne diligentissimus quidem semper evitabit. Quamquam ratione et consilio virum doctissimum usum esse, inde fortasse apparuerit, quod Silligii lectionem, quae est *sereno die,* deseruit. Item Silligius et Ianus VII, 188 *suprema die* receperunt, quum tamen statim sequatur *ante primum* (sc. diem), id quod Silligium quidem offendit, sed excusari posse putat hanc generis diversitatem, quam equidem vellem excusasset; videtur tamen *primum* mutare voluisse, ut utrobique genus femininum locum haberet. Masculino vero genere diplomatica ratione commendato utendum esse, negare non

poteris, si Plinianum vocis *diei* usum mecum consideraveris. Atque hoc quidem in universum pro certo affirmari potest, non recessisse Plinium ab usu apud ceteros bonos scriptores recepto, ut vix intellegatur, quo modo fieri potuerit, ut Urlichsius Chrest. Plin. p. 35 ad II, 215 *ad septumam* (diem) adnotaret, Plinium *diei* voculam usurpavisse femininam. Quin immo multo proclivior erat ad generis masculini quam feminini usum, si quidem haud levis momenti instar habere licet, quod in codice M, omissis scilicet locis iis, in quibus genus dignosci non possit, locos 31 invenis, in quibus masculinum positum est, nullum, qui praebeat genus femininum [30]). Quod perpaucis quidem locis exceptis aliis exemplis prorsus confirmatur; primum enim inter eos locos, in quibus pluralem numerum vocabuli *diei* legimus, nullus exstat, in quo genus femininum deprehendamus, sed semper masculinum usurpatur, velut ***serenos dies*** II, 150. XVI, 159; ***continui dies*** XVIII, 235. II, 186; ***festos dies*** VI, 100. XVIII, 135; ***ad dies utique praefinitos*** XVIII, 231, aliisque locis innumeris. Singularem autem numerum ubi posuit Plinius, longe frequentissimus est masculini generis usus, non solum ubi tempori definiendo inservit *diei* vocabulum [31]), verum etiam ubi translate dictum est de coeli temperie [32]), quo pertinet ipse hic locus, unde excurrimus.

---

[30]) Habes conspectum horum locorum: XI, 29. 35 bis 37. 38. 40. 186. 190. 195. 210. 211. 283 ter. XII, 83. 117. XIII, 57 bis. 82. 106. 126. 129. XIV, 84. 133. 136. 142. XV, 21. 59 bis. 74. 75.

[31]) Sic legimus, ut nonnulla exempla in medium proferam, *novissimo die* XII, 83. XXXVI, 120. *a medio die .. ad medium diem* V, 36. *medio die* XI, 88. II, 183. VI, 212. *uno die* II, 222. XVIII, 47. XXXV, 124. *dies tricesimus* XI, 35. *tertio die* II, 218. VII, 12. XXXI, 26. *quarto die* XVIII, 348. *intra diem sextum* VI, 106. *septumo die* VI, 99. *duodecimo die* VI, 103. *centesimo die* V, 47. *postero die* XIV, 142. XVIII, 244. XXXV, 85. 121. VII, 175. XVIII, 234. 237. *in posterum diem* XVIII, 354. 355. *postremo die* XXXVI, 117. *supremus dies* VII, 132. *supremo die* VII, 31. XVIII, 16. *supremum diem* VII, 109. XIV, 45. *eodem die* VI, 152. VII, 72. XVIII, 248. *ipso die solstiti* VI, 171. *eo die, quo ..* VII, 86. XVIII, 238. *nullo non die* VII, 104. *uno alterove die* XI, 29. *in eundem diem* XI, 37 cet.

[32]) Veluti *ceu nubilo die* II, 100. *tranquillo die* II, 115. *sereno die* XIV, 135. XVIII, 40. *serenum diem* XVIII, 342. XV, 59. *pluvio die* XV, 59 ex supplem. cod. M. Ita etiam *sereno* II, 112 et *sereno non texunt, nubilo texunt* XI, 84 posita sunt, ubi *die* tacite supples.

Neque alius generis est *diei* vox in locutionibus, quae sacralem quendam religiosumve habent usum ac significatum [33]), quin etiam ubi — ut scholastice loquar — abstractam temporis notionem induit [34]) aut ubi statutum aliquod et certo determinatum tempus indicat [35]), praeter consuetudinem ceterorum scriptorum, qui feminino genere uti solent, Plinius non abstinuit a genere masculino. Neque tamen huic significationi numquam adhibuit genus femininum, nam legimus VIII, 180 *damnatus a populo Romano die dicta qui .. occiderat bovem;* XVIII, 42 (C. Furius Chresimus) *ab Spurio Albino curuli aedile die dicta metuens damnationem* cet.; atque hae quidem locutiones usus forensis sunt, a quibus paulum discrepat, sed similis generis est VIII, 115 *Cornua mares* (cervi) *habent solique animalium omnibus annis stato veris tempore amittunt; ideo sub ista die quam maxume invia petunt;* cui dubitanter — nam corrigere malim — adscribo VII, 128 *pretium hominis in servitio geniti maxumum ad hanc diem .. fuit* cet. Praeterea feminini generis exempla enumeranda sunt nonnulla, in quibus de siderum ratione agitur eorumque cursus et ambitus numeris computantur; in his etsi plerumque masculino generi locus est [36]), legimus tamen VI, 218 *amplissima dies*, quod propter exempla similia in nota allata dubito an recte se habeat; II, 95 *huiusque* (stellae) *motu, qua die fulsit, ad dubitationem est*

---

[33]) Ut *diem Volcano sacrum* XI, 40. *diem sacrum* XI, 46. *hunc diem festum tempestatibus leniendis institutum* XVIII, 289. *laudatus dies* VII, 131. *praepostero die* XVII, 216. *Cur enim primum anni incipientis diem laetis precationibus invicem faustum ominamur?* XXVIII, 22.

[34]) Huius generis Zumpt. Gramm. Lat. § 86 not. duos locos ex Cicerone attulit femininum genus exhibentes; cfr. etiam Horat. Od. III, 6, 45 *Damnosa quid non imminuit dies?* sed Plinius dixit VII, 132: *alius de alio iudicat dies.* XXXV, 84 *Apelli fuit alioqui perpetua consuetudo numquam tam occupatum* (sic B) *diem agendi, ut non liniam ducendo exerceret artem,* quamquam proverbium fertur: *nulla dies sine linea!*

[35]) Sic legitur II, 41 *ut ventura alia finito die praecinat.* XI, 35 *dies status inchoandae* (vindemiae). X, 154 *stato die.* XVIII, 286 *hunc diem Varro determinat.* XXXV, 109 *praefinito die, intra quem perageretur.* XVIII, 25 *a certissimo die.* ib. 205 *post hunc diem.* ib. 319 *ab eo die* cet.

[36]) Huc pertinent exempla haec: *brevissimo die* II, 181. *longissimus dies* II, 186. VI, 214. 215. 220. XVIII, 256. *ipsum diem alii aliter observavere* II, 188. *unus intercalarius dies* II, 35. *quem diem alii interluni, alii silentis lunae ap-*

*adductus* (Hipparchus); XVIII, 220 .. *usque ad aequinoctium autumni, et tum aequata die* (lux) *procedit ex eo ad brumam;* ib. 265 *vertique* (natura) *iussit ipsa die* (solstitii) *folia*, quum § 248 legatur *ipso die solstiti;* XVIII, 324 *prima tota die* (ubi *toto* a) *secunda .. tertia .. toto die* (ubi *toto* d); IV, 89 (Apud Hyperboreos) *creduntur esse cardines mundi extremique siderum ambitus, semestri luce et una die solis aversi*, ubi tamen Silligius *una* pro adverbio accipit. Huc autem non referenda sunt exempla huiusmodi: XVIII, 228 (fabam) *plena luna serendam, lentem vero a vicesima quinta ad tricesimam; viciam quoque iisdem lunae diebus.* XV, 59 *colligi mala post aequinoctium autumni neque ante XVI lunam neque ultra duodetricesimam nec pluvio die;* apertum enim est, non *diem*, sed *lunam* his locis supplendam esse, et intellegimus, breviloquentia quadam admissa Plinium *tricesimam lunam* dixisse pro tricesimo lunae die, id quod ex his quoque exemplis elucet: II, 128 *de ratione* (ventorum) *menstrua quarta maxume luna decernit.* XXVIII, 28 *capillum resecari contra defluvia ac dolores capitis XVII luna atque XXIX* (religiosum est). ibid. 48 *verrucas abolent a vicesima luna.* XVI, 250 (viscum petitur) *ante omnia sexta luna, quae principia mensum annorumque his* (sc. Gallis) *facit.* XXXV, 5 *natali eius vicesima luna sacrificant.* Quamobrem etiam II, 215 *inde* (aestus) *mitescunt pares ad septumam primis* intellegere *lunam* malim quam cum Urlichsio *diem.* Corrigere autem quam servare genus femininum consultius arbitror nonnullis locis, qui cur usui alioquin a Plinio recepto adversentur non perspicuum est, neque vero quisquam, credo, hoc audaciae esse putabit, qui collationes, quibus Silligius utebatur, non semper satis accuratas esse neque omnem scripturae varietatem continere reputaverit. Ita X, 173 scribendum conicio: (camelis est) *coitus toto die*, nam quum R[1] *tote* et d *totę* habeant, *tota*, quod in R[2] legitur, proprio tentamine a librario positum, non ex archetypo petitum videtur; *toto* autem a literis propius abest; neque aliter ib. 170 (serpens) *tertio die intra uterum catulos excludit;* VII, 165 *M. Caelius Rufus et C. Licinius Calvos eodem die geniti sunt;* XVIII, 268 *Aegypto .. eodem die procyon aestuosus oritur.* Et prudenter me iudice egit Ianus, quod XIX, 3 Appuleium secutus masculinum genus posuit; parum enim

*pellant* XVI, 190; itemque ubi dierum certus numerus designatur, fere ubique genus masculinum adhiberi videmus.

sibi constitit Silligius scribendo *septima* .. *sexta* .. *nona die,* quamquam nulla significationis diversitate paulo infra legitur *septumo die* .. *quarto* .. *tertio* cet. Quae omnia si brevi complectar, hoc comprobasse mihi videor, femininum genus in *diei* voce a Plinio, si quidem ingentem locorum omnium numerum reputamus, perraro usu positum esse.

II, 206 auctoritas codicis A, quem in primo ordine posuimus, iubet *et Hercules* restitui pro *et Hercule*, quod Silligius et Ianus scripserunt. Vetustissimo enim codici qui fidem abrogat, ei demonstrandum est, scripturam eius vitio depravatam esse; quod hoc loco nullo modo fieri posse, unusquisque statim inlelleget, ubi eius locutionis, de qua agitur, usum Plinianum accuratius cognoverit. Plinius enim a ceterorum scriptorum usu [37]) eo recessit, quod contracta huius interiectionis forma *Hercle* plane abstinuit — nam II, 6 et XXIII, 34, ubi veteres editiones falso eam exhibent, Silligius ex optimis codd. recte *Hercules* restituit — et breviorem formam *Hercule* rariore usu posuit, sed longe frequentissime dixit *Hercules;* vocatis enim ad calculos exemplis omnibus, quae sunt quadraginta, praeter hunc locum, de quo disputamus, reperimus viginti novem locos, in quibus de pleniore terminatione, quae est in *es*, dubitari non potest: septem enim scripturae discrepantia omnino carent, ceteri autem vetustissimorum librorum testimoniis muniuntur, velut codicis rescripti M (XIII, 25. XIV, 3. 149); Bambergensis, Vossiani, Riccardiani, aliorum. Contra decies *Hercule* recte legi videtur [38]), quamquam reticeri non debet,

[37]) Apud Ciceronem, de cuius usu Zumpt. in adnotatt. ad Verrin. III, 62, 145 et IV, 14, 32 dixit, imprimis frequens est *hercule* et *mehercule;* contracta forma, quae est *hercle*, aliquoties in brevibus responsis et ridicule dictis, rarissime autem plenior forma *hercules* reperitur. Ad quem prope accedit Tacitus, qui in Dial. de orat. illum intento studio imitatus undecies *hercule,* semel (c. 14) *hercle,* numquam *hercules* usurpavit; itemque ceteri scriptores, de quibus conferendi sunt Handii Tursell. I, p. 437 sqq. III, pp. 57. 61. Lachmann. ad Lucret. III, 227 p. 152, breviores formas praetulisse videntur. Senecam semper *at mehercules* posuisse Haasius animadvertit in praef. vol. III p. 14 edit. Sen. Similiter Petronius semel *hercule* (p. 12, 17 Buech.), locis 18 *mehercules* habet.

[38]) Hi decem loci sunt VII, 3. 5. 108. 120. 169. II, 6. X, 32. XXIII, 2. XXVIII, 4. XXXVII, 6. Reliqui viginti novem loci, in quibus *Hercules* legitur, e conspectu, quem paulo infra proponam, facile erui poterunt.

quatuor esse inter hos locos, in quibus codices inferioris ordinis (XXXVII, 6) aut veteres editiones (VII, 3. 120. 169) pleniorem formam praebeant. Ac quum considero, quam proclive librariis esse oportuerit *Hercule* formam scribere, frequentissimam illam quidem ceteris scriptoribus, quumque adicio codices, quorum varias lectiones Silligius adnotavit, non omnes pari cura ac diligentia collatos esse, temperare mihi vix possum, quin semper pleniorem formam a Plinio usurpatam esse arbitrer ideoque etiam XIV, 6 cum Sillig io et Iano vel contra M *ergo Hercules* scribendum ducam. Quod si recte se habeat, non iniuria mihi videor coniectare, pro vocativo Plinium habuisse illud *Hercules,* de quo disputavit fortasse in octo illis libris grammaticis, quos de dubio sermone composuit. Iam vero, ut hoc quoque addam, si quaerimus, qua vi et ratione hanc locutionem Plinius adhibuerit, ibi tantum ea usus est, ubi animi quodam impetu concitatus cum vi et gravitate loquitur; invocat autem Herculem quasi testem eorum, quae dicit, quo magis affirmet asseveretque sententiam eam quam pronunciat. Ac subicit quidem illum vocativum particulis quibusdam vel adverbiis vel adiectivis: sic subicit particulae copulativae *et* II, 206. XIV, 115. XXVIII, 58. XXXVI, 46, saepissime vero particulae adservativae *at* VII, 3. 5. 169. XII, 58. XIII, 25. XIV, 3. 149. XIX, 52. XXI, 49. XXV, 2. XXVIII, 4. XXIX, 142. XXXIII, 116. 143. XXXII, 143. XXXV, 163. XXXVI, 109 itemque particulae *immo* VII, 108. XVIII, 37. Similiter coniunctum legimus cum particulis consecutivis *itaque* XIX, 56. XXIX, 17, ubi Ianus recte ex Rd pleniorem formam recepit, et *ergo* XIV, 6. XXIII, 2. 34. XXXI, 88. Ubi plures particulae unam efficiunt locutionem, vocativum illum interponere solet particulis, velut in locutionibus *non, Hercules, magis quam* et *tam, Hercules, quam*, quarum altera II, 6. VII, 120. X, 32. XVII, 27. 107. XXXV, 168, altera VII, 129 legitur. Cum adverbiis coniunctum est *Hercules* locis his: XXXIII, 39 *ita H.;* XXIX, 15 *minume H.;* XXXVII, 6 *male, H., factum;* atque unus exstat locus, in quo adiectivum cum gravitate quadam effertur illo vocativo adiecto: XXVIII, 5 *egregia, Hercules, frustratione* [39]).

[39]) Quoniam huic usui Pliniano similis est ille, quem apud Tacitum invenimus in Dial. de orat., non abs re erit brevem conspectum eius subiun-

VIII, 6 elephantorum sollertiam et docilitatem Plinius compluribus describit exemplis, in quibus narrat etiam hoc: *Certum est unum tardioris ingeni accipiendis quae tradebantur saepius castigatum verberibus eadem illa meditantem noctu repertum.* Sic omnes editiones; sed scribendum esse *eundem,* quod $R^2$ praebet, ex codicum ratione luculenter apparet. Detlefsenii enim opera demonstratum est, eum, qui codicem R in primis libris usque ad XI, 216 corrigeret, non arbitrio suo egisse, sed secutum esse idem vetustum illud exemplar ad codicis M similitudinem prope accedens, quod deinde a XI, 216 usque ad XIII, 88 totum transcriberet. Itaque $R^2$ hoc loco plurimum fidei tribuendum est. Verum etiam alterum succurrit argumentum idque in re ipsa positum, quo scripturam a me commendatam restituendam esse comprobetur. Nam quid tandem est illud, quod in hoc de quo agitur exemplo Plinio videbatur commemoratu dignum esse? Elephantumne non alia, sed eadem illa noctu meditari, quae die tradita essent? At si elephantus, quum die frustra conatus esset praecepta tradita discere, somno abstinebat et noctu meditabatur, non hoc mirabile erat, quod eadem illa quae tradita erant meditabatur, immo vero mirabile fuisset, si alia meditatus esset; ideoque non necesse erat identitatis pronomine, quod vocant, id efferri et legentium animis quasi inculcari. Sed illud ipsum potius hominum admirationem excitare debebat, quod idem ille elephantus, qui tardioris ingenii esset, discendi studio commotus ea, quae die tradita erant, noctu meditabatur. In hoc elephanto coniuncta erant, quae secum repugnare et in unum idemque animal vix cadere viderentur: et tarditas ingenii et discendi studium non fatigatum. Haec igitur repugnantia est illud, quod ut Plinio notabile videbatur, ita planis verbis significandum erat, ac significatur convenientissime *eundem* pronomine restituto.

Iniuria Ianus Silligianae lectionis tenax fuit XI, 39, ubi sic legimus: *Thymosum* (mel) *non coit et tactu praetenuia fila*

---

gere. Dixit enim *atque hercule* c. 34, *itaque herc.* cc. 14. 30. 39, *at herc.* cc. 19. 21, *immo herc.* c. 26, *tam herc. quam* cc. 8. 21, *vix herc.* c. 1, *non herc.* c. 5. Paulo alia ratio est loci, qui legitur c. 26 *malim hercule*, ubi interiectio cum verbo coniuncta est, sed pertinet haud dubie ad adverbii *libentius* seu *potius* notionem, quae in *malle* verbo inest.

*mittit, quod primum* g*r a v i t a t i s argumentum est. Abrumpi statim et resilire guttas, vilitatis indicium habetur.* Hic pro *gravitatis* M exhibet *bonitatis,* quod corruptum esse evinci vix poterit. Opposita enim est gravitas mellis vilitati, quae oppositio quam ferenda non sit, iam auctor scripturae K et Pintianus viderunt, quorum alter pro gravitate nobilitatem, alter levitatem pro vilitate ponendam coniecit. Quibus coniecturis facile carere possumus, nam genuina ea lectio est, quae M testimonio locupletissimo firmatur, ideoque contra Iani exemplum *bonitatis* pro *gravitatis* substituendum est.

XI, 254 recte Ianus pro *bisulcus* cum M *bisulcum* scripsit: *Camelo tali similes bubulis sed minores paulo; est enim bisulcum discrimine exiguo, pes in vestigio carnosus ut ursis, qua de causa in longiore itinere sine calciatu fatiscunt.* At idem non respuere debuit quod in eodem fonte est *ursi,* nam *vasi,* quod M, pro *ursi,* quod d habet, lapsus est calami. An iure quisquam contendat, malam et intolerabilem exsistere structuram, si ad *ursi* genetivum pedis nomen cogitando repetamus? Quam ellipsin ne a Plinio abiudices, legas 241 *Galliarum* (caseus) *semper medicamenti vim obtinet,* ubi casei nomen satis longe remotum est, vel VIII, 143 *is* (canis), *cui nomen Hyrcani reddit Duris, accenso regis Lysimachi rogo iniecit se flammae similiterque Hieronis regis.*

Minus facili negotio expedire licet II, 163, ubi communem codicum R a T d scripturam *delabantur* Silligius et Ianus damnaverunt scribentes *dilabantur,* quod quum aliorum codicum testimonia Silligius non adnotaverit quumque etiam apud Harduinum legatur, ex vulgato textu originem ducere videtur. Codicum autem scripturam a depravationis nota vindicaturis argumenta nobis ex ipsa re et loci natura repetenda sunt. Ac Plinius quum convincere studeat falsam volgi opinionem formam terrae in orbis speciem globatam esse negantis, hoc praecipue argumentum impugnat, quasi non possit „cogi in verticem aquarum quoque figura", ideoque exemplum poculorum humore repletorum affert, quorum „media maxume tument": in quibus dicit humore vel minimo addito statim circumfluere, quod supersit, additis vero ponderibus humorem intra poculorum margines contineri nec quidquam superfluere. Quam rem ut explicet, verba adicit haec: *scilicet quia intus recepta liquorem in verticem attollant, at cumulo eminenti infusa* *d i l a b a n t u r.*

Videmus igitur oppositionem, quae in his statuatar, esse hanc: ea, quae ob ponderum gravitatem liquore merguntur et intus recipiuntur, liquoris superficiem sursum in verticem attollunt et efficiunt, ut cumulus eminens etiam magis emineat globi instar; contra ea, quae infunduntur, non efficiunt, ut idem eveniat, quum in cumulo eminenti non conglobentur neque resideant, sed circumfluant. Fluere autem quum aliter non possint quam deorsum, quumque *de* praepositio cum verbis motum indicantibus composita semper significat, fieri hunc motum de loco superiore in inferiorem, manifestum est, rectissime dici, *delabi* ea quae cumulo eminenti infusa sint. Non equidem nego, in hoc sententiarum nexu etiam *dilabi*, si bonis codicibus traditum esset, ferri posse, sed idem non video, cur *dilabi*, quod traditum est, reiciendum sit. Ceterum commutatio *de* et *di* syllabarum, ubi verbis praefixae sunt, ut prona ita frequens est, velut leguntur XI, 201 *dilabantur* (Md) et *delabantur*, XII, 61 *deripiendi* (M$\beta$) et *diripiendi*, XIII, 38 *deligi* (M) et *diligi*, XIV, 145 *dilectum* (Ma) et *delectum* (d), ubi vide Fels. p. 34 not. 6, XI, 58 *derigunt* (M) et *dirigunt* (Rd), XIII, 112 *destincti* et *distincti*, XII, 62 *degredi* (Ma Td$\Theta$) et *digredi* ($\beta$). Conferre licet etiam Pers. Sat. I, 66, ubi *dirigat*, *dirimat*, *diregat*, *derigat* feruntur et Zumptii comm. in Cic. Verr. *degredi* et *digredi* p. 584. 686, *delectus* et *dilectus* p. 13. 359. 508, *deligere* et *diligere* p. 368, *deminuo* et *diminuo* p. 549, *demittere* et *dimittere* p. 314, *demovere* et *dimovere* p. 7, *deripere* et *diripere* p. 254. 767, *deverti* et *diverti* p. 103.

VII, 109 Silligius et Urlichsius recte cum Rd dederunt: (Alexander Magnus) *Pindari vatis familiae penatibusque iussit parci, cum Thebas raperet.* Ianus, qui *caperet* scripsit cum editt. $\beta\gamma$, offendisse videtur in eo, quod *rapere* significatione diripiendi positum est, et profecto hic usus, poetis numquam inauditus, ab optimis scriptoribus, qui ante Augustum imperatorem erant, satis raro adhibitus est, sed argentea quae vocatur Latinae linguae aetate etiam prosae orationis scriptoribus nonnullis exemplis vindicatur. Ac viam quodam modo aperit illud, quod *rapere* et *trahere* absolute posita de immoderata diripiendi licentia et cupiditate dicuntur, cuius quidem usus Kritz. ad Sall. Cat. XI, 4 haec congessit exempla: Sall. Iug. 41, 5 *sibi quisque ducere, trahere, rapere*, ubi gradationem facile agnoscis; Fragm. hist. IV, 12, 17. Plaut. Trin. II, 2, 10

*cetera rape, trahe.* Tacit. Ann. III, 20 *trahere graves praedas,* quibus addi potest quod Cic. Phil. IV, 9 dixit: *spes rapiendi et praedandi occaecat animos.* Hinc factum est, ut Tacit. Ann. III, 74 *trahendi* verbum significatione diripiendi usurparet: *alio latere, ne Cirtensium pagi impune traherentur, propriam manum Blaesus filius duxit.* Cur igitur non rapiendi verbo eadem significatio possit attribui, praesertim quum sciamus, scriptores posteriores quasi in deliciis habuisse, verbum simplex pro composito adhibere? Cuius loquendi consuetudinis e Plinio haec adnotavit exempla Grasberger. p. 114: II, 5 *medius* pro *dimidius;* VII, 101. 110 *mirari* pro *admirari,* quamquam hoc, quod etiam ib. 111 legitur, iam Ciceroni frequens est; itemque Felsius p. 60, qui Iano XI, 149 pro *incrementa* ex R¹Θd scribenti *crementa* (lunae), quo verbo iam Varro ap. Nonium p. 169, 14 usus est, plane adsentitur, contulit *spectum* pro *aspectu* usurpatum II, 143. XI, 274. Mihi e Plinio hoc praesto est exemplum VIII, 118 (cervi) *vestigant cavernas* pro *investigant,* et Silligius ad XXXV, 46 (purpurissum) *ex India venit, harundinum spumae adhaerescente limo; cum cernatur, nigrum* adnotavit, „*cernere* pro *secernere* Plinio non infrequens esse coll. XVIII, 115. XXXIII, 87." Praeterea forte adscripsi ex Ovid. Metam. VI, 149 *colere* pro *incolere,* VIII, 185 *claudere* pro *excludere* [40]), e Curtio III, 12, 3 *totum propemodum corpus vitalis calor liquit* pro *reliquit;* cfr. Sil. Ital. V, 38 *nec Poenum liquere doli;* et Hor. Od. I, 28, 33. 35, 24. 36. II, 14, 21. III, 16, 24. 27, 49. [41]). Largam

[40]) Sic enim mihi explicandus videtur esse locus: *Daedalus interea Creten longumque perosus Exsilium tactusque loci natalis amore Clausus erat pelago,* et falsa est Siebelisii interpretatio adnotantis: „obwohl er gern Creta verlassen hätte, konnte er doch nicht, weil ihn rings das Meer einschloss." At quod pelago circumdatus erat, hoc fugae minime obstabat; cur non, si Minos permisisset, nave fugisset? Sed hoc Minos non permisit, qui, quum Daedalum Labyrintho includeret, pelago exclusit, pelagus ei obstruxit, ita ut solum ei pateret caelum.

[41]) Hoc verbum cum Felsio p. 30, qui apte contulit II, 222 *quia exhausto inde dulci tenuique omne asperius crassiusque linquatur,* ex M restituendum duco XV, 22 *ex cortinis in labra fundendum* (esse oleum), *ut fraces et amurca linquantur,* ubi Ianus Silligii exemplum imitatus *liquentur* ex d recepit, quamquam, ut iam Dalecamp. vidit, illud aptissimum, hoc non tolerabile est. *Liquare* enim est efficere, ut quid liquidum ideoque purum et limpidum fiat, cfr. Hor. Od. I, 11, 6 *vina liques;* hoc autem loco liquari oportet oleum, non fraces et amurcam, quibus illud foedatum est; quae quidem ut remo-

vero huius generis exemplorum copiam praebet Roth. ad Tac. Agr. Excurs. XII, p. 164 sqq., e quibus unum, quod nostrae sententiae planissime conveniat, hoc loco apponere placet: Hist. IV, 33 *rapiunt in transitu hiberna alae Asciburgii sita.* Haud aliter idem Tacitus dixit Ann. XIII, 6 *prorupisse rursum Parthos et rapi Armeniam allatum est,* quem locum recte Urlichs. in comparationem vocavit, quum non sit, cur Nipperdeii interpretationem „dass sie (die Parther) Armenien an sich rissen" adoptare cogamur: nam usurpatur sane *rapere* de castris et de urbibus sic, ut sit „celeri impetu expugnare", sed primum quaeritur, possitne de tota aliqua terra ita dici, deinde si de Armenia dici sic potest, propter ipsam celeritatem expugnandi Tacitus dicere non poterat: *rapi Armeniam allatum est,* sed debebat dicere: Armeniam raptam esse. Alia exempla exstant apud Claudian. in Eutrop. II, 568 *urbes rapuerunt praelia,* apud Stat. Theb. VII, 599 *Templa putes urbemque rapi,* apud Sil. Ital. XV, 407 *urbem .. non toto rapuisse die.* Quo in genere est etiam Vergilianum illud, quod legitur Aen. II, 374 *rapiunt incensa feruntque Pergama,* ubi *rapere* quidem non pro se solum positum, sed cum ferendi verbo eodem modo sociatum est, quo *φέρειν καὶ ἄγειν* apud Graecos, verum tamen eandem diripiendi vim et significationem habet. Quamobrem quum videamus, usum hunc, de quo disceptamus, poeticum esse, sed a Tacito non alienum, quumque Plinius non esset aevi sui adeo dissimilis, ut a vocibus et locutionibus poeticis prorsus abstineret, immo vel in genere dicendi minime elato multa poetarum propria ab iis mutuari non dubitaret [42]), non habemus, cur hanc rapiendi significationem a Plinii sermone ab-

---

veantur et in cortinis tanquam faeces relinquantur, 'ex cortinis oleum fundendum est in labra. — His adiungere placet alium locum, in quem scire velim cadatne eadem observatio. Scilicet XII, 62 Plinius narrat, Alexandrum Magnum Leonidae paedagogo, qui puero ut turi parceret suasisset, Arabia expugnata navem ture onustam misisse et exhortatum esse, *ut large deos adoraret.* Sic ediderunt Silligius et Ianus nescio quem codicem secuti; M habet *oraret,* T d *odoraret,* quod ex dittographia syllabae *os* vel *or* facile poterat gigni. Iam possitne probabile videri *orare* positum esse significatione verbi compositi *adorare?* Quum hunc orandi usum quo tuear, non habeam, aliorum de hoc loco sit iudicium: mihi indicasse sufficiet.

[42]) Quam late usus poeticus apud Plinium pateat, exponere longum et ab hoc loco alienum est; satis est commemorare, Urlichsium in adnotatio-

horrere iudicemus, et reiciendum est *caperet*, quod, si rem acu tangere velimus, ne tolerari quidem videtur posse propterea, quod verbi *capere* plusquamperfectum, non imperfectum ponendum erat: consentaneum enim est, Alexandrum iussum illud militibus dedisse, non quum caperet urbem, sed quum cepisset captamque diripiendam iis permitteret.

VII, 189 postquam Plinius vulgatas illas de immortalitate animae humanae opiniones diversis argumentis vehementer impugnavit suamque de ea re sententiam his verbis acerbissimis indicavit: ***puerilium ista deliramentorum*** [43]) ***avidaeque numquam desinere mortalitatis commenta sunt***, sequitur enunciatio haec: ***similis et de adservandis corporibus hominum ac reviviscendi promissa Democrito vanitas, qui non revixit ipse;*** sic enim Silligius et Ianus scripserunt e Roberti Defl. Plin. recipientes lectionem ***promissa***, pro qua R d praebent ***promisso***, quod damnandum esse mihi non magis persuadere potui, quam ***promissa*** genuinum esse et sententiae prorsus satisfacere. ***Promissa*** enim, nisi me omnia fallunt, necesse est referri ad vanitatem ita, ut promissam Democrito vanitatem intellegamus eam, quam Democritus promisit; quam quidem rationem sine dubio amplexus est Ianus, qui Harduino praeeunte adiecit insuper *a* praepositionem, quasi vero dativi verbo passivo adiuncti usus Plinio non esset familiarissimus [44]). Sed haec ratio pluribus implicata est incommodis. Primum enim quaeritur, quid sit pro-

---

nibus ad Chrestom. Plin. et Grasbergerum variis locis indicasse et Opitzium satis multis exemplis illustravisse diversa eius usus genera.

[43]) Sic ut cum Sillgio scribendum censeam contra Ianum, qui ex R[1] *delenimentorum* desumpsit, movet me correctoris manus R[2] et II, 17, ubi plane eadem locutione usus Plinius ea damnat, quae de deorum personis et vita antiqui credere solebant. Neque etiam video, cur d e l e n i r i his commentis hominum animos Plinius putaverit, quoniam illa non ex tristitia quadam aut anxietate hominum, quam deleniri oportet, sed ex mortalium aviditate numquam desinendi repetit. Hanc autem aviditatem illae opiniones non deleniunt, immo vero explent et satiant.

[44]) Hunc usum apud Plinium latissime patentem multo pluribus exemplis ad XXXII, 49 collectis iam Silligius probavit, quam Grasbergerus, qui ex professo eum tractavit; is enim p. 34 nonnullos locos composuit, quibus quamquam permulti addi possunt, exaggeratum tamen esse et iustam mensuram excedere existimo, quod ille dixit: „Plinio quo sit breviter dicendi studio, longe saepius omissam esse illam praepositionem *a* quam usurpatam.“ Ceterum vellem vir doctissimus observasset certum quendam ordinem et

missa Democrito vanitas: id quod equidem non intellego, neque enim, quamvis nomen abstractum pro concreto haud raro a Plinio ponatur (cfr. Grasb. p. 68), animum inducere possum, ut idem esse arbitrer ac si dicas „promissum vanum a Democrito factum.“ Cui refragatur etiam vanitatis vocabuli usus a Plinio observatus, quippe qui vanitatem quum rebus tum maxime hominibus attribuat iis, qui falsa specie induti non sint tales, quales habeantur aut haberi cupiant quique inani-

---

legem in enumerandis exemplis, ut quibus finibus usus ille apud Plinium contineretur, clare appareret; nunc quod ille omisit, paucis absolvere conabor. Atque ut is usus profectus est a participio perf. pass. cum dativo coniuncto, quod iam apud Ciceronem saepius reperitur (cfr. Zumpt, § 419. Haasii adnot. 551 ad Reisig. Scholas Lat.), ita etiam huius generis exempla longe frequentissima sunt, quumque ea, quae Grasberg. attulit, maximam partem in hoc numero sint, alia hic addere supervacaneum habeo. Praepropere autem me iudice ageremus, si cum Salmasio et Grasbergero iis locis, in quibus per literas commode fieri posse videtur, contra codicum fidem *a* praepositionem deleremus, veluti XXII, 146 *Est silvestris elelisphacos dicta a Graecis;* nam dativi usus non adeo dominatur, ut non *a* praepositio saepissime posita sit, velut XX, 13 *a Graecis appellata;* XXVI, 132 *a Graecis dicta;* IV, 55 *ab aliis dictae;* III, 86. IV, 92. XXVIII, 170 al. Eodem modo dativus adiungitur temporibus iis, quae formantur participio perfecti passivi cum verbo *esse* composito, ut VII, 171 *quaeque alia Hippocrati principi medicinae observata sunt;* V, 94 *omnibus ignorata est;* XIV, 114 *adeo nihil intemptatum vitae fuit.* II, 167. VIII, 167 al. Sed multo minus crebri sunt loci ii, in quibus Plinius Augusteae aetatis poetas sectatus hunc dativi usum etiam ceteris formae passivae temporibus adhibuit; ita invenitur praesens his locis: II, 43 *ut scelera hominum noscantur mundi ipsius ignaris;* XXXVI, 19 *ut externorum regum vanitas Italis superetur;* IV, 51 *quae ita Graecis appellatur;* VI, 174 *in eum Trogodytis myrra confertur;* X, 12 *Tribus primis et quinto aquilarum generi inaedificatur nido lapis aetites;* XXXII, 49 *si surculus in menstruis defigatur marito;* XXII, 83 *bibitur ieiunis;* IX, 106 *Indis petuntur;* ibid. 135 *unde et Homero purpureus dicitur sanguis;* quod ap. Sillig. XII, 77 legitur: *lacrima qua Indis medicamentum conficitur,* sic ex Ma restituendum est, ut *Indis* omittatur. Similiter infinitivo praesentis dativus adiunctus est VIII, 34 *draconibus expeti.* XVIII, 334 *nec sum oblitus, in hac parte Graecis ventum poni, quem caecian vocant.* Imperfecti aut futuri exempla non inveni. Hoc igitur apertum est, hunc usum dativi apud Plinium non tam late evagatum esse, quam apud Livium et Tacitum, praesertim quum, si VI, 174. X, 12 excipias, verba sic usurpata pleraque omnia ea sint, quae in adiectivi notionem facile transeant; adiectivo autem adiunctus dativus commodum habet explicatum, velut Plinius dixit XXXII, 144 *celebres Homero vituli* (marini); cfr. Haas. adnot. modo laudatam.

bus et nugatoriis rebus studeant aut etiam eiusmodi rebus hominum oculos fraudulenter praestringere conentur. Ita saepius Graecorum vanitatem castigat, ut XXXVII, 31 *occasio est vanitatis Graecorum detegendae;* XXVIII, 112 *cognitis proditisque mendaciis Graecae vanitatis*, qui locus spectat ad ipsum Democritum; alibi reprehendit *mortalium vanitatem*, ut VII, 131. II, 170, et XXXVI, 78 dicit: *non constat a quibus* (pyramidae) *factae sint, iustissimo casu obliteratis tantae vanitatis auctoribus;* imprimis autem magorum vanitatem constanti quodam odio persequitur, e quorum locorum copia unum afferre iuvat, cuius verba simul satis clare viam monstrabunt, quam in eo loco, de quo nunc disputamus, emendando ingrediamur necesse est: XXVIII, 89 *magorum vanitas perunctis adipe faciliorem gratiam apud populos regesve promittit* [45]). Videmus igitur „promissam Democrito vanitatem" dici non posse, sed potius de Democriti vanitate promisso aliquo conspicua cogitandum esse. Sed etiamsi haec locutio non abhorreret a sermonis Latini natura et a Pliniano usu, restat tamen alterum incommodum positum illud quidem in enunciati structura, quoniam vanitatis notio tam ad verba *de adservandis corporibus hominium* quam ad genetivum *reviviscendi* pertinet: quae quidem notionum iunctura, quamquam Plinii studium membra aequalia dictione variandi iam attigimus, tamen, quum quanam ratione *reviviscendi* cum vanitatis notione cohaereat incompertum sit, tam molesta est, ut vel a Pliniano dicendi genere haud raro ineleganti abiudicanda sit. Quamobrem abiecta inutili Roberti coniectura recurrendum nobis est ad libros immerito spretos, qui *promisso* exhibent, et videndum, habeatne ea lectio intellectum talem, qualis sententiae ratione hoc loco postuletur. Apertum autem est, perstringere Plinium Democriti vanitatem, quippe qui teste Varrone in satira, quae Cycnus περὶ ταφῆς inscribe-

[45]) *Promittere* de hominibus remedium aliquod commendantibus dictum Plinio imprimis familiare videtur, ut dixit in acerbis illis facetiis XXVIII, 118 *utinamque eo ramo contactus esset Democritus, quoniam ita loquacitates inmodicas promisit inhiberi*, et XXX, 2, ubi de „magicis vanitatibus" loquitur: (artem magicam) *blandissimis desideratissimisque promissis addidisse vires religionis.* XXXVII, 164 (glossopetram deficiente luna caelo decidere) *ne crederemus, promissi vanitas fecit, ventos enim ea conprimi narrant.* Ibidem: *Goniaeam eadem vanitate inimicorum poenas efficere promittunt* (magi).

batur (p. 106. 7 ed. Oehler.), praecepisset, ut in melle mortuorum corpora adservarentur, idemque promisisset, fore ut homines eo modo adservati reviviscerent. Iam quum vanitatis huius alterum documentum *de* praepositione adhibita contineatur verbis ***de adservandis corporibus hominum***, eodem modo alterum quoque significatum esse exspectantibus peropportune nobis succurrit ***promisso***, quod traditum est; quod si retineamus et pro dativo leni mutatione[46]) genetivum *Democriti* posuerimus, hunc locum integritati restitutum esse existimo. Ablativus enim ***promisso***, unde genetivus ***reviviscendi*** pendet, cum iis, qui antecedunt, ἐκ παραλλήλου positus et aptus est a praepositione ***de***, ut prodeat sententia perspicua nec ullam habens offensionem haec: puerilem esse Democriti vanitatem de adservandis corporibus hominum et de reviviscendi promisso, quandoquidem ne ipsum quidem revixisse notum sit.

XI, 58, ubi legimus in MΘd: ***quodsi defecit aliquas alvos cibus, inpetum in proximam faciunt*** (apes), non intellegitur cur Ianus hanc scripturam optime commendatam aspernatus ex R scripserit ***deficit*** ac recte Felsius p. 42 perfectum etiam ab Urlichsio positum munivit compluribus exemplis, quorum in protasi simili modo perfectum positum est; sed miror quod ille non attulit enunciatum simillimum, quod paulo ante legitur § 54: ***si qua lassata defecit aut forte aberravit, odore persequitur***, nec vidit eadem ratione etiam XIII, 132 ***demetitur verno aequinoctio: cum florere desiit*** ex MΘd recipiendum esse, quum Silligius et Ianus ***desinit***, quod ar habent, praetulerint. Quos ob locos haud scio an praestet XVIII, 299 neglecta codicum auctoritate Tad, qui ***deficit*** habent, revocare vulgatam scripturam: ***si palea defecit, et culmus teritur***, praesertim quum haec vocalium ***e*** et ***i*** commutatio frequens sit (vid. Fels. p. 20) et similis neglegentiae exemplum reperiatur XIII, 42, ubi a ***accepimus***, MΘTd ***accipimus*** exhibent, quod Ianus recepit.

Communi auctoritate codicum RTdr commotus et delectatus, ut videtur, rari et exquisiti vocabuli ***spiratus*** specie parere noluit Ianus codici rescripto M, qui cum editione β XI, 6 praebet ***spiritum***. Spiratus autem vox solitaria, quum nullo

[46]) Contrarius lapsus calami reperitur paulo infra (VII, 192), ubi pro *Mercurio* cod. d exhibet *emerarii*.

alio loco inveniatur [47], nihil aliud significare potest quam respiratum, qua voce a Cicerone de Nat. Deor. II, 55, 136 usurpata Pliniano vocabulo Harduinus patrocinari conatus est. Iam videamus, constetne sua huic loco sententia, si hanc *spiratus* notionem retineamus. Impugnat autem Plinius opinionem eorum, qui insecta spirare negant propterea quod pulmone careant et visceribus iis, sine quibus spirari non possit: neque enim spirare aiunt idem esse atque vivere, et vivere posse animalia quae non spirent. Quibus prorsus contraria est Plinii sententia: sine respiratione, inquit, vita constare non potest; ergo necesse est insecta spirare, quumque pulmonibus careant, spirare ea necesse est sine pulmonibus. Spirari autem posse sine visceribus dicit se docuisse etiam in marinis animalibus (IX, 16 sqq.) quamvis in denso humore viventibus: quanto incredibilius esse animalia volucria et in ipso spiritu viventia respiratione carere? In his manifestum est opponi inter se ipsum spiritum h. e. aerem, in quo insecta, et densitatem humoris, in quo pisces vivant et animalia marina. Et quum ad spirandum opus sit spiritu, facile est spirare in ipso spiritu, in humore maris perdifficile: arcetur enim spiritus densitate et altitudine humoris. Quo sententiarum ordine et nexu probe considerato negare non poteris postulari cummaxime *spiritus* vocem: *nec video, cur magis possint non trahere animam talia* (insecta) *et vivere quam spirare sine visceribus, quod etiam in marinis docuimus, quamvis arcente spiritum densitate et altitudine umoris.* Sic cum M scribendum est; *spiratum* vero si quis ponat, Plinium facit ipsum sibi contradicentem et negantem id quod

[47]) Wannowskius Plinian. p. 5 *spiratum* dicit esse spirandi facultatem, multis exemplis congestis affirmans „nullius generis nominum maiorem esse apud Plinium proventum, quam nominum quartae declinationis verbalium.“ Sed eorum nonnulla, puto, codicum lectionibus rectius et accuratius perpensis e textu Pliniano exulabunt; nam ut hoc loco vocem *spiratus* damnavi, ita etiam Ianus XVIII, 299 *substratus* vocem delevit, quum pro eo, quod Silligius posuit: *culmum saxosis locis cum inaruit baculo frangunt substratu animalium* scriberet *sub strata animalium (substrata,* d. *subtracta,* a). Praepositio autem *sub* quam interpretationem habeat, non video equidem, sed potius ponendum duco *substrata* (als Streu, als Unterlage), quae vox eandem rationem habet cum *strato,* quam *substramen* cum *stramine* et *substramentum* cum *stramento.*

demonstrare vult: nam densitate et altitudine humoris arceri insectorum spiratum — quid hoc est aliud quam prohiberi quominus spirent?

Redimus ad XI, 8, ubi Plinius suam de insectorum sanguine sententiam contra eos, qui aliter sentiunt, exponit (vid. supra p. 24). Sed ut solet res controversas aut in ambiguo relinquere aut sine persuadendi studio et confidentia decernere et contrariis quoque opinionibus locum suum concedere, sic etiam hoc loco quae protulit minime exspectat omnibus probatum iri et protinus se pati adicit, in sua quemque perseverare sententia (cfr. IX, 19. XIV, 59. XXVIII. 29). Hoc a Plinio ultima eius paragraphi enunciatione significari ex codice M demum intellectum est, qui habet: *denique existimatio ne sua cuique sit*, ubi quidem *ne* particula molestissima est, quam simplicissimum erit pro calami lapsu habere cum Sauppio, qui teste Felsio p. 11 not. 2 *ne* delendum esse statuit. Ianus tamen hoc vocabulum servare studens interiectionem illam, quae affirmandi notionem habet, intellegi ideoque commatis circumcludi vult; at huic rationi altius repetitae obstat, quod haec interiectio apud Plinium perrara videtur esse (mihi certe nullum nunc exemplum praesto est); tum vero Iano comprobandum erit, Plinium non agnovisse artos illos terminos, quibus apud ceteros solutae orationis scriptores eius usus continetur: vid. Reisig. § 219 cum Haas. adnot. 381. Quod nisi comprobatum erit, equidem illi non adstipulabor. Potuerit fortasse *ne* sic quoque retineri, ut scribamus: *denique existimatione sua quisque sit*, sed mihi maxime placet Sauppii ratio simplicissima. — Deinde cur suam cuique opinionem concedat, indicaturus Plinius sic pergit: *nobis propositum* (est) *naturae rerum manifestas indicare, non causas indagare dubias* [48]).

---

[48]) Videtur Plinius in his *indicandi* et *indagandi* verbis argute sibi oppositis lusum quendam verborum, quem recte dixeris paronomasiam, quaesivisse, quo magis oratio luminibus distingueretur. Cuius generis Grasberg. p. 122 e Plinio tria exempla attulit, quibus addere licet: II, 15 *itaque nomina alia aliis gentibus et numina in iisdem innumerabilia invenimus.* IX, 2 *pleraque etiam monstrifica reperiuntur* (in mari) *perplexis et inter semet aliter atque aliter nunc flatu nunc fluctu convolutis seminibus atque principiis.* VII, 117 *Quanto plus est ingeni Romani terminos in tantum promovisse quam imperi!* Alius generis illud est artificium, quo idem vocabulum in eodem enunciato

Ita M, Silligius et Ianus *naturas* posuerunt, R *natura* habet. Lectioni vulgatae *naturas* sua haud dubie constat sententia ac ratio nec quidquam facile inveneris, quo offensioni sit; hoc autem non quaeritur, sed illud potius, utrum id quod M praebet ferri possit an vitiatum putandum sit. Atque, ut paucis dicam, habet *naturae* suum intellectum, nam *naturae rerum* intellego genetivum, quem vocant partitivum, ex *manifestas* adiectivo suspensum, ut idem sit ac si dicas: inter naturae res propositum nobis est eas tantum indicare, quae manifestae sint. Quae verborum iunctura prorsus congruit cum liberiore usu Pliniano, quo genetivus partitivus pendere potest non solum ex adiectivorum comparativo et superlativo atque ex pronominibus et adiectivis numeri alicuius notionem continentibus [49]), verum etiam ex positivo adiectivorum et ex prono-

duplici significatione positum est: II, 43 *non sumus profecto grati erga eos, qui labore curaque lucem nobis aperuere in hac luce* (h. e. vita); II, 23 *adeoque obnoxiae sumus sortis, ut sors ipsa pro deo sit,* cfr. Urlichs. Chr. Plin. p. 12. Oxymoron est ad similitudinem eius, quod Socrates dixit: „Hoc scio me nihil scire", quod legitur II, 25 *solum ut .. certum sit, nihil esse certi.* His artificiis creberrimus est Seneca, e quo Haas. praef. ad Tac. p. LII not. 327 complura exempla composuit cognitu iucunda.

[49]) Huius genetivi pauca exempla afferre non abs re erit, nam quae Fels. p. 16 proposuit, promiscua sunt et Grasberger. variis locis de hoc usu disputavit. Primum igitur suspensus est genetivus e gradu comparativo: XI, 221 *animalium fortiora;* XVIII, 299 *plures gentium;* XIII, 39 *ad materias operumque lautiora;* — deinde e superlativo: VIII, 112 *placidissimo animalium;* VIII, 10 *saevissimus ferarum;* et plane conveniens usui Pliniano fuerit, si recte se habeat, genetivus, quem pro *cura* d praebet VIII, 8 *circa hos* (dentes) *beluis* (elephantis) *summa curae.* Tum e pronomine numerali: XIII, 27 *gentium aliquis* (i. e. aliquibus); XI, 208 *hominum quibusdam;* ib. 245 *animalium quaedam;* — denique ex adiectivis numeralibus; VI, 142 *gentium nullis*; XI, 208 *nulli ova gignentium;* ib. *nulli pedibus carentium;* XI, 275 *nulli ova generantium;* ib. 257 *nulli uncos habentium.* — VIII, 58 *ab uno animalium;* XI, 150. 283 *uni animalium;* XII, 111 *uni terrarum;* XI, 252 *unum hominum;* XVI, 10 *uni gentium.* (Genetivi ab adiectivo *unus* apti invenis etiam nonnulla exempla apud Grasb. p. 101, qui nescio qua de causa miratur, hoc adiectivum numerale a Plinio sic usurpatum esse). – VI, 59 *Indi soli gentium* ib. 76 (gens) *sola Indorum;* ib. 133 *mortalium solis;* XI, 206 *ova parientium testudo sola;* VIII, 115 *soli animalium;* X, 25 *sola omnium avis;* XI, 199 *his solis animalium;* ib. 243 *terrestrium solus.* (Et sic etiam ex adverbio *tantum* genetivus pendet XI, 255 *lynx tantum digitos habentium*). — II, 25 *ceteris animantium.* — XI, 270 *in alio animalium.* — XI, 123 *multis aquatilium.*

minibus participiisque numeri notione non indutis: quem quidem usum a Zumptio § 430 strictim indicatum, a Rothio ad Tac. Agr. Exc. XVIII, p. 190 sqq. et a Grasbergero p. 27 breviter tractatum exemplis aliquot in sua genera digestis adumbrabo. Pendet igitur genetivus ex adiectivi positivo VI, 138 *militum inutiles;* XI, 202 *insatiabilia animalium;* 218 *molles piscium generis;* XV, 33 *contra teredines et noxia animalium,* uti ex M nunc emendatum est; II, 213 *siderum avido,* ubi Urlichs Chr. Plin. etiam VIII, 193 *lanarum nigrae*; XI, 265 *canum degeneres* contulit; cfr. Sueton. Ner. 33 *Locusta, venenariorum inclita;* — deinde ex pronomine demonstrativo, ut XI, 26 *hae cellarum;* XIV, 38 *haec uvarum.. reperta est,* vel ex relativo: IX, 17 *animalium quae semper defossa vivont;* XI, 21 *quibus est earum* (apium) *adulescentia, ad opera exeunt,* nam sic hic locus explicandus est nec Silligio obtemperandum, qui pro *earum,* quod prorsus otiose additum censeret, *etiamnum* ponere voluit; ib. 224. 280 *quae animalium*; ib. 243 *quibus animalium;* ib. 244 *quibus.. quadripedum* et saepe in Indice ad lib. XI. legitur *quae* vel *quibus animalium;* quo etiam refero XI, 206 *renes habent omnia quadripedum, quae animal generant,* quum verba hoc modo intellegenda sint: „quae quadripedum animal generant, ea omnia renes habent“; — denique ex participiis VIII, 2 *vitulorum fatigatos;* IX, 16 *nec piscium branchias habentes;* XI, 205 *cursorum laborantibus.* His locis omnibus verbum, ex quo aptus est genetivus, partem sive speciem eam significat, quae e toto genere, quod genetivo designatur, eximitur: quamobrem III, 7 *Baetica .. cunctas provinciarum .. divite cultu praecedit* ab illis segregandum et peculiari mentione dignum est, quum adiectivo *cunctus* non pars aliqua, sed idem totum indicetur, ut proinde hoc loco genetivi partitivi usum iustos fines excessisse videamus. (Cfr. II, 10 *per cuncta rerum,* XIV, 20 *cuncta Graeciae,* et vid. Reis. § 355 cum Haas. not. 530.) Quae quum ita sint, hoc effecisse mihi videor, sententiam eam, quam loco, de quo disceptamus, subesse velim, non repugnare syntaxi Plinianae. At vero Plinius praef. § 13, ubi totius operis sui consilium et rationem describit, nonne: *Rerum natura,* inquit, *h. e. vita narratur?* Quumque sua cuique rei et animali natura sit, nonne potuit dicere *naturas rerum manifestas?* Sicut etiam XII, 1 legimus: *Animalinm omnium quae nosci potuere naturae generatim membratimque ita se habent* et XIV, 1 *no-*

*scentes meminerint* *naturas* *earum* (arborum) *a nobis dici, non culturas,* et XV fin. *nunc dicemus silvestrium* *naturas?* Sane vero; neque enim infitior notionem, quae est „natura rerum,“ familiarissimam esse Plinio,, sed idem nego notionem, quae est „res naturae,“ ab illo alienam esse ideoque servari posse censeo codicis M scripturam: nam quod Plinius dixit II, 28 *Hinc redeamus ad reliqua naturae,* quid hoc est aliud nisi: redeamus ad reliquas res naturae indicandas? Itemque XI, 284 *Verum ad reliqua naturae*, inquit, *transeamus.* Et quum XX, 1 dicat: *Maxumum hinc opus naturae ordiemur,* et in fine totius naturalis historiae XXXVII, 201 *Etenim peractis omnibus naturae operibus discrimen quoddam rerum ipsarum atque terrarum facere conveniet,* quis contendet, a Plinio dici non potuisse *naturae res?* Et sic profecto legimus XXXVII, 204 *Rerum autem ipsarum maxumum est pretium .. margaritis,* ubi de naturae rebus cogitandum esse totius loci ratio aperte declarat, neque in aliam sententiam accipi posse existimo ea, quae Plinius Graecorum artem medicinam etiam inter Romanos increbuisse conquestus dicit XXIX, 19 *aliena et vivimus opera perieruntque* *rerum naturae* *pretia et vitae argumenta.* Nam rerum naturam dupliciter intellegit aut quasi numen quoddam et omnium rerum parentem et artificem aut mundum ipsum h. e. rerum creatarum universitatem [50]). Eo autem loco, quem modo indicavi, harum significationum neutra apte adhiberi potest, sed incusat Plinius aequales, quod *res naturae et vitae argumenta* vero pretio metiri desierint; nam simplicia remedia vitae usu comprobata et a priscis adhibita aspernati Graecis se dedunt medicis, qui raris et exquisitis remediis utuntur tantaque impudentia sunt, ut „venenum artis esse persuadeant“ (XIII, 125). Quare quum

---

[50]) Paucis certe necesse erit hos significatus explanare et munire. Ac notissimum est, Plinium naturam *parentem rerum omnium* numinis instar venerari: ex locis multis affero XXXVII, 205 *Salve rerum omnium parens, Natura, teque nobis Quiritium solis celebratam esse numeris omnibus tuis fave;* cfr. O. Vorhauser, Die religiös.-sittliche Weltanschauung des ält. Plin. Progr. Gymn. Innsbr. 1860 p. 14 sq. Ludovici Rummleri diss. inaug. de C. Plinii Sec. Philosophumenis, Gryph. 1862. 8. Idem valet locutio, quam saepe ponit, *natura rerum,* ut II, 238 *tot locis, tot incendiis rerum natura terras cremat.* IV, 88 *pars mundi damnata a rerum natura.* V, 97 *velut de industria rerum natura*

codicis M scriptura *naturae rerum manifestas* loquendi consuetudini Plinianae nullo modo repugnet, patronus eius exsistere conatus sum: rectene viderim, aliorum sit iudicium; ego officio deesse nolui, quod critico iniungitur, ut codicis, qui principatum obtinet, scripturam ubicunque tolerari possit strenue tueatur.

In medio rem relinquere cogimur XI, 188, ubi Ianus cum Silligio codicibus non nominatis dedit *chamaeleoni*, quamquam M *chamaeleonti* praebet. Plinianus quidem usus, quantum ex librorum memoria, quae apud Silligium fertur, iudicare licet, hic est: VIII, 101 *chamaeleone* RΘTdr; *—onte, β.* Ib. 120 *chamaeleonem* Rob., *—one,* R; *—ontem* codd. Rezz. *β.* XI, 91 *chamaeleonum* M, nulla alioquin discrepantia adnotata. Ib. 152, ubi M mutilatus est, *chamaeleonis* RΘd; *—ontis, β.* XXVIII, 112 *chamaeleonem* ΘVRd; *—ontem* Ambr. I. II. *β.* Ib. 117 *chamaeleonis* ΘVRd; *—ontis β.* Contra X, 143 legitur *chamaeleontes*, codice qui dissentiat non adnotato. Codex rescriptus igitur variat, altero loco (XI, 188) *chamaeleonti*, altero (XI, 91) *chamaeleonum* praebens; ea autem codicum familia, quae RVdTΘr continet, *t* consonantem constanti usu omittit, quum editio *β* et alii codices, ut Rezz. et Ambros. I. II, alterum declinatum praeferant. Quare nisi librarii in hac re cum

---

*subinde aequora opponente.* VII, 7 *Naturae vero rerum vis atque maiestas in omnibus momentis fide caret, si quis modo partes eius ac non totam complectatur animo.* VIII, 45 *in universis rerum naturae operibus.* Ib. 225 *Hic mirum, rerum naturam non solum alia aliis dedisse terris animalia.* XI, 1 *nusquam alibi spectatiore naturae rerum artificio.* Ib. 6 *nam mihi contuenti semper suasit rerum natura nihil incredibile existimare de ea.* Ib. 12 *tanta est natura rerum, ut prope ex umbra minuma animalis incomparabile effecerit quiddam.* XVIII, 272 *nisi calumniari naturam rerum homines quam sibi prodesse mallent.* Iam quum Plinius II, 1 Stoicorum doctrinam sectatus dicat, *par esse mundum numen credi, aeternum, inmensum, neque genitum neque interiturum umquam* eundemque mundum esse *rerum naturae opus et rerum ipsam naturam* (§ 3), consentaneum est, rerum naturam nonnumquam ab eo eodem significatu quam mundum dici, velut II fin. *Harmonica ratio, quae cogit rerum naturam sibi ipsam congruere.* III, 4 *creduntque perfossas* (Herculis columnas) *exclusa antea maria admisisse et rerum naturae mutasse faciem.* X, 142 *Non sit tamen facile inter duos iudicium turpitudinis, nisi quod minus est summas rerum naturae opes* (h. e. margaritas) *quam hominum linguas cenasse.*

arbitrio egisse censendi sunt, Plinius non sibi constitisse, sed modo Graecorum usum secutus esse, modo ad similitudinem *leonis* vocabuli Latini vocem illam declinavisse videtur; itaque equidem eo inclino, ut hoc de quo agitur loco cum M *chamaeleonti* scribam. Cf. Ruddim. Instit. I, p. 61 not. 86 et Reisig. § 35 p. 42, ubi de scriptoribus Romanis dicit, qui graecorum nominum propriorum declinationem graecam dedita opera devitabant, id quod vitiosae vulgi consuetudinis fuisse Franc. Buecheler. praef. ad Petron. p. X demonstrat exemplis inscriptionum Latinarum, ut *Eros Eronis* pro *Erotis*, *Anteronis*, *Phileronis* al. Idem de hac re multorum exemplorum copia disputavit in Mus. Rhen. tom. XV p. 435—439. [51])

Minus vero dubitanter adscribo locos nonnullos, in quibus Ianus contra codicum fidem *et* particulam omisit, cuius rei iam supra nonnulla exempla attuli et Felsius quoque p. 27 mentionem fecit. Ac quod XIV, 103 *et*, quod in Md ante *e piris* exstat, damnavit, haud exiguo id fecit incommodo enunciati structurae, quae, si codices secuti *et* inseruerimus, optime sic procedet et concinna trium membrorum iunctura commendabitur: *Vinum fit et e siliqua Syriaca et e piris málorumque omnibus generibus — sed e Punicis rhoiten vocant — et e cornis, mespilis, sorbis, moris siccis, nucleis pineis.* — Atque hoc quidem loco particula, si codicibus non confirmaretur, carere possemus: necessaria est et sententia desideratur XI, 213, ubi Ianus, quamquam in M ante *pinguitudo* legitur *et*, cum Silligio edidit: *plerisque animalium est pinguitudo sine sensu;* quum autem ex verbis iis, quae proxime antecedunt: *adips cunctis* (animalibus (*sine sensu, quia nec arterias habet nec venas,* eluceat

[51]) Aeque ambigua est quaestio de Pliniana participii quod est *tusus* orthographia, in qua singuli codices inter se dissentiunt neque ipse M sibi constat. Silligius enim et Ianus quum ubique *n* consonantem addant, etiam XIII, 124 nescio quos codices secuti *contunsa* scripserunt, ubi tamen M *contusa* exhibet. Itemque habet XIV, 106 *tusi*, 109 *tusis*, XV, 26 *contusis*, sed XIV, 104 *tūsi*, XV, 26 *tunsis*, 28 *tunso*. Utra forma librarii culpae debeatur, diiudicari vix poterit, nam in *n* consonanti literae *s* praemittenda saepe variat codex M, qui semper fere ponit *n* in numeralibus, ut *vicensimus*, *totiens* al., et similiter in *Atlans* XV, 91, *elephans* XI, 234, *coniunx* XI, 238 (vide Fels. p. 6), sed in aliis vocabulis, in quibus communi usu scribi soleat, omittit, ut in *inmesa* XI, 36. 104 pro *immensa* et in aliis, quae invenis apud Fels. p. 21.

adipem discerni a pinguitudine, utrique autem plerumque hoc commune esse, ut sit sine sensu, quivis *et* h. e. *etiam* particulam suo iure ante *pinguitudo* positam esse ultro concedet. In eandem mentem accipi potest etiam illud *et,* quod codicum M Ta auctoritate postulatur XV, 16 *aliquae oleo suo et sine arcessita conmendatione purae innatant colymbades,* ita ut iniuria videatur a Iano damnatum esse. Et quoniam hunc *et* particulae usum, quo idem quod „etiam" valet, tetigi, liceat mihi de eo observationes quasdam, quibus tamen minime exhauriri hunc locum uberrimum haud ignoro, adnotare, praesertim quum ea, quae Grásbergerus p. 115 de *et* particula exposuit, non modo perquam brevia et tenuia sint, verum etiam non videantur a satis recto eius usus intellectu profecta esse. Est autem *et* particulae duplex apud Plinium usus: alter is, quo verba aut sententias inter se coniungit, alter is, quo haec vis copulativa eam habet rationem, ut *et* in *etiam* particulae notionem transeat. Hic autem, qui apud scriptores argenteae aetátis creberrimus est et contra communem priorum philologorum opinionem iam Ciceroni eiusque aequalibus vindicatus est subtili expositione Handii in Tursellini tom. II, pp. 499—524, cui „Latini in vitae communis usu antiquo semper et ubique *et* pro *etiam* dixisse" videntur, hic usus, inquam, apud Plinium adeo pervagatus est, ut prorsus innumerabilibus locis inveniatur *et* in media oratione positum et copulativa vi amissa idem quod „etiam" significans. Non mihi in animo est, huius usus hoc loco persequi genera omnia: quare obiter attingam, quod etiam gradationis causa Plinius *et* usurpavit, ut VIII, 31 *namque id et* (h. e. vel) *tanta vastitas* (sc. elephantorum) *sentit,* et quod apud gradum comparativum *etiam* particulae vice fungitur VIII, 27 *nam et maior Indicis* (elephantis) *magnitudo est.* Praecipuo autem studio in oratione conformanda sectatus est traiectionem illam ab Handio descriptam inde a p. 507, in qua uno aliquo vocabulo praemisso *et* particula secundum enunciationis locum obtineat: id quod paucis exemplis ex ingenti numero depromptis munire satis est. Verbum igitur praemissum est: II, 96 *fit et caeli ipsius hiatus,* itemque enunciationes incipiuntur a verbis *fit et* II, 134. XV, 26. 28. 30. XXXVI, 197. 198, *fiunt et* II, 195. XXXVII, 128, *est et* II, 196. 197. XV, 70. XVI, 73. XXXIV, 116. 117. XXXVI, 169. 202. 152. XXXVII. 99. 138, *sunt et* XV, 17. 18. 117. XXXVI,

43. 135. 161. XXXVII, 89. 155, *fecit et* XXXIV, 54. 55 bis. 57. 58. 59. 78, *adduntur et* XXXVI, 156, *celebrant et* XXXVII, 133, *dant et* XXXIV, 109, *deprehenditur et* ibid. 112 bis, *emicant et* II, 96 bis, et alia plurima reperiuntur. A substantivo vel adiectivo vel pronomine enunciatio incipit: *Folia et per se siccantur* XV, 123. *Magna et in hoc vis soli* XVI, 84. cfr. XV, 101; *Sua et in odore miracula* XV, 110; *quidam et* .. XXXVI, 42; *idem et* .. XXXIV, 55. XXXVI, 60; *haec et* .. XXXVII, 109; *huic et* .. ib. 113. Denique particula aliqua praemissa est: *namque et* .. XXXIV, 110. XXXVI, 91. *inde et* .. ib. 204. *unde et* .. ib. 58. *sic et* .. XV, 30. XVI, 58. *verum et* .. XXXV, 166. XXXVI, 101; pervulgatum vero est *sed et* .. VII, 169, XIV, 30. XVI, 20. 106. XXXIV, 95. 107. XXXVII, 156; cfr. Sillig. ad VII, 127, Hand. Tursell. II, p. 516, Haas. ad Reis. adnot. 423. Neque aliud valet *et* aut in formula *non et* h. e. „nonne etiam," de qua exempla adnotavit Sillig. ad XXXII, 7 aut in frequentatione illa particularum *nec non et*, quippe in qua particulae *nec non*, quae e. g. leguntur XII, 67. XIV, 19. 79. 125. XV, 41. 65. XVII, 262. XXV, 158, per se vim habeant affirmativam et sequentia antecedentibus adnectant; exempla larga manu praebet Sillig. ad II, 63. Saepissime vero Plinius *et* pro *etiam* posuit consociatum cum *quin*, nam *quin etiam* satis raro, ut X, 108. XXXIV, 13, sed *quin et* permultis locis adhibuit, ut II, 156. 241. VIII, 83. 92. 119. 208. IX, 21. 33. 71. 114. 140. 174. X, 25. 51. 110. 154. XI, 25. 147. 151. 273. 279. XII, 3. 37. 98. 108. XIII, 106. 111. 131. XIV, 16. 114. 126. 134. XV, 5. 33. 121. 124. XVI, 21. 24. 144. 15. 117. 118. XVIII, 154, aliis locis. Huc referendi sunt etiam plurimi eorum locorum, in quibus *et* .. *autem* particulae simul a Plinio positae sunt: in quo quidem usu ubertatem quandam atque abundantiam Plinianae orationis animadvertisse sibi visus est Grasbergerus, qui p. 115 nonnullos eius generis locos attulit, sed idem non vidit, iam a Silligio multo maiorem numerum ad II, 125 congestum esse, cui licet etiam addere X, 160. XXXIV, 109. XXXVII, 106 [52]). Sed loci ii nihil habent miri aut inauditi

[52]) Apud Silligium legitur ex R d etiam X, 41 *et ille autem protinus concerpsit nec multo post implevit prodigium,* ubi Ianus *avem* pro *autem* ex coniectura Coler. ad Valer. Maxim. V, 6, 4 recte recepit.

et omni pleonasmi nota vacant, quum illae particulae non unam faciant coniunctionem aut simul inserviant enunciationibus inter se colligandis, sed probe separandae sint: nam *autem*, ut solet, continuat orationem et ad totam pertinet sententiam cum antecedenti coniungendam, sed *et* particula ad unam eam notionem, cui praeposita est, attrahitur, et plurimis quidem locis eandem quam *etiam* habet significationem, velut II, 80. 125. 218. V, 26. VI, 145. VIII, 89. IX, 235. XV, 91. XVI, 114. 196. XVII, 143. 145. 260. XIX, 124. XXIII, 123. XXV, 31. 70. 92. XXVII, 34. XXIX, 96. XXXVII, 106; ceteris locis bis aut ter aut etiam pluries *πολυσυνδέτως* posita est, ut illo loco a Grasbergero laudato XVII, 233 *et ibi autem et in reliquis partibus;* itemque XXI, 131 *et alba autem et lutea extenuat menstrua;* XXXIV, 109 *et squama autem et flos uruntur;* ter legitur XV, 42 *et haec autem et Persica et cerina;* XIX, 92 *et haec autem et siser et pastinaca;* quater denique legitur XXIV, 69 *et lignum autem et flos et folia et cortex in eundem usum adhibentur.* Similem explicatum habent etiam formulae *et .. igitur*, *et .. ergo*, in quibus nemo contendet diversas particulas unam efficere coniunctionem, cfr. Hand. Turs. II, p. 506. n. 3. Neque magis agnosco redundantiam iis locis, in quibus *et .. etiam* vel *et .. quoque* particulas simul concurrisse videmus, quoniam tantum abest, ut hae particulae eandem vim habeant et in unam coniunctionem coalescant, ut altera ab altera necessario distinguenda sit. Quamquam enim Handius l. l. p. 523 nonnulla exempla protulit, in quibus „*et .. etiam* fere unam habet significationem“, tamen non adsentior Urlichsio, qui Chr. Plin. p. 12 ad II, 22 adnotavit, Plinium saepius *et .. etiam* una significatione componere: nam loco eo, quem solum attulit, XXIX, 20 *Iam vero et adulteria etiam in principum domibus* attrahitur *et* ad *adulteria*, *etiam* ad verba *in principum domibus;* II, 22 autem, ubi Urlichsius ex codicibus TPa²bdgp scripsit: (Fortuna) *a plerisque et caeca etiam existimata*, ego cum Sillígio et Iano, qui *et caeca* ex a¹ receperunt, facio, quum *etiam* redundet et interpolatori, qui explicationis causa *etiam* particulae *et* suprascripsit, deberi videatur. Eadem ratio est eius loci, quem Grasbergerus Urlichsium temere secutus attulit, VII, 112 *perhibuere et Romani proceres etiam exteris testimonia*, ubi non cum Urlichsio *etiam* ad *proceres*, sed potius ad *exteris* refero propterea, quod Plinius, postquam Athenienses et reges Aegypti et Macedoniae illustria testimonia

viris literarum laude ornatis perhibuisse narravit, pergit ad Romanos proceres, qui et ipsi talia testimonia perhibuerint eaque non Romanis modo, sed etiam exteris. Altero autem loco, quem Grasbergerus laudavit, XVII, 8 *ob hoc insita et arborum quoque adulteria excogitata sunt*, particula *et* duo nomina, quae sunt *insita* et *adulteria*, consociantur: cui simillimum est, quod legitur XIV, 102: *E Cypria fico fit et acetum praecellens atque Alexandrino quoque melius* et XI, 261 *nec non aliqua gentium quoque in hoc discrimina et sacrorum etiam*, ubi *gentium* et *sacrorum*, quae pendent ex nomine *discrimina*, coniunguntur *et* particula, *etiam* autem gradationis causa adiectum est. Pariterque XXV, 170 *et ipsa etiam radix sistit* particula *et* sequentia antecedentibus apte adnectuntur, neque vero repugnat VIII, 56 *sunt vero et fortunae eorum quoque clementiae exempla*, ubi *et* ad *fortunae* notionem, *quoque* ad *eorum* i. e. leonum referri iubet vel verborum collocatio: nam si *et* .. *quoque* iunctim posita unam efficerent notionem, *eorum* ad *fortunae* pertinere necesse esset, quum tamen eorum clementiam intellegendam esse neminem fugere possit [63]). Similem explicatum qui ceteris quoque exemplis a Grasbergero propositis adhibuerit, facile intelleget, non esse cur insolitam quandam particularum idem significantium frequentationem miremur. Iam vero quum *et* particulae negatio sit *nec (neque)*, consentaneum est, *nec* interdum significare *ne ... quidem*, quoniam his particulis negatio *etiam* particulae continetur; atque tribus, quos Grasb. p. 117 enumeravit, locis addere conveniet aliquot, quibus hic usus illustretur: II, 119 *ideo nec Homerus pluris nominat*. 146 *sicut nec e volucribus*.

63) Ceterum haud scio an praestabilius sit pro *fortunae eorum* cum d $^{2}\beta\gamma$ *fortuita eorum* reponere, quod quidem quum a literis proxime absit nec coniectura videatur natum esse, tum vero verborum structuram alioquin contortam multo expeditiorem reddit et ad intellegendum faciliorem neque aliam sententiam praebet atque *fortunae*, quod ex R d Sillig. Ian. Urlichs. recipiendum duxerunt. Hunc autem genetivum Urlichs. Chr. Plin. p. 103 perinde atque *clementiae* aptum esse vult ex nomine *exempla* et haec fortunae exempla clementiae leonum opposita recte putat esse exemplis clementiae eius, quam leones praepotenti hominum ingenio et arte domiti mansuefactique discant: qualia in iis, quae proxime antecesserunt, nonnulla a Plinio narrata sunt. Ad hanc autem sententiam perquam accommodatum est adiectivum *fortuita*, quod tamen genuinum esse pro certo affirmare non ausim.

224 *nam nec aquarum natura miraculis cessat.* XI, 5 *sic nec spirare ea quibus pulmo desit.* 218 *sed neque his* (arteriis constant) *molles piscium generis.* XIV, 7 *sicut nec flesse multos.* 139 *alios lectum exspectare non posse, immo vero nec tunicam.* XVIII, 283 *ut nec dies.* Cfr. Zumpt. § 277. Madvig. § 457 not. Sillig. ad II, 88. Itaque etiam *neque .. autem* in uno eodemque enunciato posita leguntur, ut IX, 115 *nec in Acarnania autem laudati reperiuntur.* Sed haec corollarii instar sunto.

De alio Plinii usu eloquendi ut disseramus, admonet nos XI, 246, ubi MSRTr sic: *pedibus paulum differunt, sunt enim ut manus praelongae.* Ubi quum *pedes* subiectivi vice fungatur, quis non videt pronum esse scribere *praelongi*? Et sic profecto Silligius et Ianus unum cod. d secuti dederunt. At huius libri auctoritati hoc loco nihil tribuendum: nimirum apparet, quoniam eandem atque RT originem habet, hoc commentum esse librarii in feminino genere offendentis. Quapropter si *praelongae* damnamus, necesse est habeamus pro lapsu calami inde ex pervetusto archetypo per omnes codices propagato. Sed vereor tamen equidem, ne editores doctissimi Plinium ipsum correxerint. Is enim a duris et asperis constructionibus adeo non abhorruit, ut saepius numeri vel generis diversitatem admitteret, ubi convenientiam exspectares, velut praef. § 14 *magna pars,* inquit, *studiorum amoenitates quaerimus,* et ib. 19 *nihil auso promittere hoc ipsum tu praestas, quod ad te scribimus,* neque alius generis est, quod nomini pluralis numeri adiunxit singularis numeri substantivum appositum, quamquam necessitate non coactus erat, ut IX, 12 *hoc scire orcas, infestam his beluam,* et XVII, 229 *sunt .. nascentes urucae, dirum animal.* Verum his exemplis ne accensendus quidem est locus is, de quo agitur: immo vero non recedit ab optimorum scriptorum usu, quippe in quo haud rara generis cernatur attractio. De qua quidem quae Reisigius Schol. Lat. § 190, 2 et 3 luculenter exposuit, iterare longum est: satis erit, e Plinio nonnulla proposuisse documenta. Atque iis locis, in quibus verbi genus non cum subiecto, sed cum nomine attributivo, quia propius abest, convenit, velut Cic. de div. II, 43 *Non omnis error stultitia est dicenda* et Liv. I, 1, 3 *Gens universa Veneti appellati,* plane similes sunt hi: VII, 62 *qua de causa aliorum eius liberum propago Liciniani cognominati sunt.* VI, 14 *gens Salae antiquis Phthirophagi dicti.* II, 139 *Volsinii, oppidum Tuscorum opulentissimum,*

*totum concrematum est fulmine*, quamquam hoc loco verbum non ad nomen attributivum, sed ad nomen appositum accommodatum est [54]). Ad alteram vero attractionis speciem, quae contineatur exemplis huiusmodi: Cic. Brut. 262 *omni ornatu orationis tanquam veste detracta* et Nep. Them. 7, 5 *illorum urbem ut propugnaculum esse oppositum barbaris*, pertinet hic ipse locus, in quo versatur disputatio: nam quum pedes et manus comparentur, utrique nomini communis est attributum *praelongae*; quum vero *manus* nomen propius absit quam *pedes*, consentaneum est, *praelongae* conspirare cum *manus*. Alia eaque insignia exempla exstant apud Zumpt. § 370 not.

Quibuscum satis arto vinculo cohaeret usus, quem ut in quaestionem vocemus poscit XIV, 99, ubi Plinius de acinis labruscae enunciavit haec: *pars eorum aestu moritur prius quam reliqua, quae solstitiales dicuntur.* Sic scriptum est in M, quocum consentiunt a d, qui praebent *reliqua*, in iisdem autem num etiam *quae* legatur reticuit Silligius, qui suo Marte, ut videtur, *reliqui, qui* correxit. Ianus invito M edidit *reliqua qui*, quae quidem relativi pronominis attractio etsi communi usu comprobatur, videamus tamen, utrum Pliniana elocutione postuletur an possit codicis rescripti memoria suo iure sustineri. Atque habemus hoc loco enunciatum relativum tale, quale Reisig. Schol. Lat. § 191 descripsit: ea enim est potestate adiectum, ut reliqua pars acinorum explicetur nomine *solstitiales*. In his autem enunciatis relativis, ut docuerunt Reisig. l. l. Zumpt. § 372, Madvig. § 316, a Cicerone semper, a posterioribus plerumque attractio relativi pronominis adhibetur ea, qua non cum nomine explicato, ad quod proprie pertinet, sed potius cum nomine explicante, quod in relativo enunciato positum est, in numero et genere conveniat exceptis locis iis, in quibus nomen explicans peregrinae est originis aut eo est consilio additum, ut nomen explicatum ab aliis nominibus accurate distinguatur. Quem usum Plinius

---

[54]) Sic etiam XII, 73 numeri attractione admissa, de qua cfr. Reisig. Schol. Lat. § 196, verbum non cum subiecto *capras*, sed cum nomine apposito *animal*, quod propius abest, congruit; nam quod in M legitur *caprasque, maleficum alias frondibus animal, odoratorum vero fruticum expetentius, tanquam* intellegat *pretia, carpere germinum caulis*, genuinum esse iudico, non autem *intellegant*, quod e Silligiana editione immerito Ianus retinuit.

quoque nonnumquam secutus est, velut IV, 89 *gens felix, quos Hyperboreos appellavere;* XV, 45 *in Rhodo*, *quod primum ab Aegypto earum fuerat hospitium;* et quem locum iam Grasberger. vidit (p. 103) XIII, 39 *dulcis medulla earum* (palmarum) *in cacumine, quod cerebrum appellant, exemptaque vivont* cet. Sed haec sunt omnia, quod sciam, exempla attractionis huiusmodi admissae: ceteris omisit eam Plinius ideoque Grasbergerus „innumerabilibus — ut satis ὑπερβολικῶς dixit — exemplis fretus" p. 102 statuit, relativum pronomen ista lege Grammaticorum omnino non [vel potius non ubique] teneri apud Plinium et huiusmodi rationem observari semper in scribendo, qualem videmus apud Lucretium V, 899 sq. (ed. Lachm.):

Quippe videre licet pinguescere saepe c i c u t a

Barbigeras pecudes, homini q u a e est acre venenum."

Neque hic Plinianus mos fugere debebat Silligium et Ianum, nam inter eos locos, quos Grasberg. pp. 102. 103 suppeditat, legitur etiam XI, 197 *Exta homini ab inferiore viscerum parte separantur membrana, quam praecordia appellant*, ubi uterque *quam* ex R²T receperunt pro *quae,* quod traditum est in R¹ Θdβγ, et XIII, 51 Ianus recte cum M scripsit: *in ficorum autem caricas et minores eiusdem generis, q u a s cottana vocant.* Quam ob rem etiam hoc loco, de quo disputatur, relativi pronominis attractionem a Plinio non adhibitam esse censeo; quod autem verbum cum praedicato, non cum subiecto congruit, id ei mirum esse non poterit, qui huius generis exempla, quae supra attuli, et eum locum cogitatione perpenderit, quem a Grasbergero mutuatus nunc addo: XXXV, 114 *unde id genus picturae grylli v o c a n t u r.*

XI, 270 *primus sermo anniculo est* ex M reponendum esse, prorsus consentio cum Felsio p. 27. Nam — ut paucis hanc sententiam muniam, quoniam causam ille non exposuit — dubium esse non potest, quid Plinius in mente habuerit: nimirum hoc voluit indicare, hominem primo aetatis anno peracto primum sermonis usum discere, primos ad loquendum habere conatus. Haec autem sententia eo, quod M praebet, luculenter exprimitur, quandoquidem primum sermonem intellegendum esse „primum sermonis usum" in propatulo est; illud vero, quod Silligius et Ianus ex RΘTd hauserunt, *primo,* nihil aliud significare potest quam hoc: primo anniculo, deinde vero homini natu maiori sermonem esse; quae quidem sententia

non modo ab hoc loco aliena, sed etiam rationis omnino expers est.

In indice ad libr. XII, ubi M tradidit: *platanus quando primum in Italiam et unde,* accusativum *Italiam* librarii peccato deberi persuadere mihi non possum. Ianus *Italia,* quod Sillig. posuerat, retinuit, nec profecto esset, cur offenderes, si „fuerit" vel „creverit" vel tale quid supplendum esset; quum autem verba *et unde* cum antecedentibus sic cohaereant, ut in utraque enunciatione interrogativa unum idemque verbum necessario intellegas, quumque *unde* particula satis manifesto demonstret, platanum ex peregrina terra in Italiam translatam esse, dubitari non potest, quin „invecta sit", quod XII, 6 re vera legimus, subaudiendum sit, ideoque *in Italiam* ex M recipere cogimur.

XII, 23 Ianus vulgatae suffragatus est scripturae haustae ex codice a: (fructus) *rarus est nec fabae magnitudinem excedens, sed per folia solibus coctus* *p r a e d u l c i* *s a p o r e* *dignus miraculo arboris.* Silligius scripserat genetivum qualitatis *praedulcis saporis,* qui exstat in R, sed recurrendum est ad memoriam codicis M *praedulcis sapor et,* ubi *sapor* quidem non bene quadrat in enunciationis structuram, sed collato eo, quod d exhibet, *praedulcis sapore,* facile adducimur, ut librarium *e* vocalem omisisse et *sapore* scribendum esse censeamus. Sic igitur locus prodit: .. *sed per folia solibus coctus praedulcis sapore et dignus miraculo arboris* (est). De hoc ablativo *sapore* nemo, opinor, dubitabit; quare quasi opus supererogationis facere videbor, si hos locos similes apponam: XII, 35 *gustu amarum;* 76 *visu aridum;* 97 *gustu fervens;* XIII, 52 *dulcem sapore;* XVI, 139 (cupressus) *bacis torva, folio amara, odore violenta.*

XII, 62. Hunc locum Silligius et Ianus sic constituerunt: *Alexandro Magno in pueritia sine parsimonia tura ingerenti aris paedagogus Leonides dixerat, ut illo modo, cum devicisset turiferas gentis, supplicaret. At ille Arabia potitus ture onustam navem misit ei exhortatus, ut large deos adoraret,* Quae quamquam per se spectata suspicionem movent nullam, codicis M tamen auctoritate adducor, ut plura mutanda esse dicam. Ac primum quod M et a exhibent, *Arabiae potitus,* non mihi videtur id librarii neglegentiae imputari posse. Nam genetivum non solum in illa pervulgata locutione *rerum potiri* usurpari, sed etiam de hominibus, de terris, de aliis rebus dici, nemini incognitum:

ut tamen quaevis dissipetur dubitatio, documenta aliquot in medium proferre non piget, quorum alia Haasius ad Reisig. § 356, alia Nipperdeius Quaest. Caesar. pp. 19. 24 indicavit. Genetivum igitur adiunxit Cicero fam. I, 7 *si exploratum tibi sit, posse te illius regni potiri;* de off. III, 113 *ea, quorum potiti erant Poeni;* item Caesar B. G. I, 3, 8 *totius Galliae potiri,* et satis frequenter Auctor belli Africani 18, 4 *eorum potiti;* 50, 5. 61, 6 *vivorum sunt potiti;* 74, 1 *Zeta, cuius Caesarem potitum esse demonstravimus;* itemque Auctor belli Hispaniensis 1, 1 *Hispaniae potitus;* 2, 2 *eius provinciae potitus;* deinde Cornelius Nepos Lys. I, 4 *classis hostium est potitus;* Dion. V, 5 *totiusque eius partis Siciliae potitus est;* Sallustius Cat. 47, 2 *urbis potiri;* Iug. 25, 10 *Adherbalis potiri;* 74, 3 *hostium paucorum potiti;* Livius XXV, 14 *vexilli potiri;* XXXIII, 21 *huius potitus loci;* Velleius I, 1, 3 *regni potiri;* II, 25, 3 *potitus eorum;* denique Tacitus Ann. XIII, 6 *regni potitus.* Atque quod Haasius l. l. adnott. 532 et 557 ad persuadendum apposite dixit, genetivi causam in eo positam esse, quod *potiri* redeat ad hanc significationem „potentem esse vel fieri alicuius rei,“ id in hunc locum, de quo agimus, vel maxime quadrat: nam participium *potitus* non tam actionem, quam condicionem eam, quae potiendi actionem sequatur, indicat et *Arabiae potitus* idem est quod „Arabiae potens factus ac dominus.“ Quamobrem genetivum reponere minime dubito. Alterum, de quo disceptandum est, cernitur in his, quae M habet: *misit et exhortatus est ut ..* Quae quidem quum tam recte procedant tamque bene se habeant, ut non sit cur corruptela affecta ea esse arbitreris, in textum reducenda esse existimo, praesertim quum etiam magis arrideant quam vulgata scriptura: nam *ei* satis otiosum est neque omissum desideratur, participio autem *exhortatus* temporum ordo ita turbatur et confunditur, ut quod re vera prius est, id posterius factum dicatur: pro quo aut *exhortans* exspectaveris aut id, quod ex M restitui volo.

Insequenti paragrapho quae ex solo codice M parari potest medela, nondum parata est. Narrat enim Plinius mercatores Arabes, antequam tus collectum mercari liceret, in urbe Sabota Sabi deo decimas dare cogi; his decimis tolerari impensas publicas, *nam et benigne certo itinerum numero deus hospites pascit.* Vocem *itinerum*, quam Silligius Ianusque ex d hause-

runt, in controversiam adduco; nam in ΘTar *iterum*, in M vero *dierum* legitur. Et hoc quidem statim in oculos incurrit, *iterum* sensu plane destitutum ideoque vitiatum esse; in quo quum ΘTar consentiant, apertum est in archetypo, ex quo illi fluxerunt omnes, sic scriptum fuisse, *itinerum* autem, quod in d eiusdem originis codice exstat, librarii coniectura ex *iterum* fictum esse. Hoc autem unde natum sit, M nunc perspicue declarat; *iterum* enim ex *dierum* ortum esse multo credibilius est, quam *dierum* pro *itinerum* librarii errore esse exaratum. Diplomatica igitur quam vocant ratione *dierum* firmiter fundatum est optimamque habet commendationem. Nec minus accommodatum est ad huius loci sententiam. An habes quod iure tibi displiceat in narratione hac: mercatores cum camelis suis Sabotae benigno hospitio exceptos et per plures dies cibo pabuloque pastos esse? In qua ego quidem non video quid offensioni esse debeat; quin etiam *dierum* magis mihi convenire huic loco videtur, quam *itinerum*, quod non caret iusta dubitatione. Cogimur enim *iter* aut pro unius diei itinere aut pro certo aliquo viae spatio accipere. Sed illius breviloquentiae, qua *iter* dictum sit pro unius diei itinere, exempla mihi non innotuerunt; neque vero si hoc rectum esset, satis posset intellegi, cur hanc cummaxime locutionem Plinius adhibuisset, quum „certus itinerum numerus" tum eandem temporis mensuram quam „certus dierum numerus" significaret. Alteri autem significationi obstat, quod, ut Plinius paulo infra narrat, Arabes totum iter in camelorum „mansiones" dividere consueverunt; nam quum *mansio* non solum locus sit, in quo aliquamdiu consistebant et camelis quietem et pabulum dabant, verum etiam translate dicatur de itineris spatio binis mansionibus interiecto, verisimile est, Plinium hoc loco non *itinerum*, sed potius *mansionum* dicturum fuisse. Quapropter *dierum* omnibus numeris commendatum legitime servandum esse mihi persuasum est.

Nec minus probabilis est scriptura *Arabia*, quae XII, 84 in M exstat, repudiata tamen a Iano est, qui praecedente Silligio edidit: *verum Arabiae etiamnum felicius mare est*. Agit autem Plinius hoc loco de mercibus illis pretiosissimis, quas ceteris gentibus Arabia felix vendat quibusque venditis cognomen illud sibi vindicet: ac terram quidem ait tus gignere et odoriferas arbores, mare vero, quo Arabiae litora adluun-

tur, etiam felicius esse, quippe quod margaritas condat, quae ingentibus pretiis a Romanis potissimum feminis emi soleant. Comparatur igitur felicitatis nomine mare cum alia quadam re: quae qualis intellegenda sit, non difficile est dictu, quum unusquisque statim videat, non posse id comparari nisi cum terra celebrium odorum procreatrice. Quam ob rem ablativus *Arabia*, quem M praebet, commodo explicatu non destitutus est, *Arabiae* vero genetivus sine sententiae detrimento omitti potest, quoniam, de quo mari cogitetur, dubium esse nequit. Neque vero praetermittendum est, quod genetivum cum *mare* coniungi vetat verborum collocatio: ita enim *Arabiae* vox posita est, ut cum vi efferatur et *mari* in fine enunciati posito quodammodo opponatur: id quod ablativo convenit, genetivo non item.

XII, 97. Hic quae M tradidit, tam bene inter se consentiunt, ea vero, quae Silligius et Ianus vulgaverunt, bonorum codicum auctoritate adeo non firmantur, ut non videam, cur codici M fidem hoc loco abrogandam esse statuamus. De casia enim locutus Plinius: *Probatur*, inquit, *recens maxume et quae sit odoris largissimi*[55]) *gustuque quam minume fervens potiusque* (sic etiam ad) *lento tepore leniter mordens.* Quae quam recte se habeant, non est quod uberius explanemus, nam *potiusque* et quae sequuntur tanquam supplementum aliquod explicans apte adnectuntur negativae notioni, quae inest in verbis *minume fervens.* Contra Silligius et Ianus locum ita mutaverunt, ut plane contraria sententia prodiret: scripserunt enim *quam maxume fervens,* quo quidem iam posito non poterant non scribere *potius quam* incognitos Barbari codices secuti. Sed haec verborum conformatio quum non intellegam quo iure praeferatur ei, quam codex rescriptus et partim ad habent, tum vero eo mihi suspecta est, quod non liquet, quo consilio verba *gustu quam maxume fervens* particulis *potius quam* acriter opponantur verbis *lento tepore leniter mordens.* Nempe gustus diversitas, quae in iis continetur, tanta est, ut de vero casiae gustu his esse nequeat, neque ullam invenimus alius scriptoris significationem, cui, quum casiae gustum lento tepore leniter mordere affirmaverit, alia sententia opponatur.

---

[55]) Sic Felsius p. 38 probabiliter coniecit pro *longissimi* (M).

Itaque *maxume* videtur calami lapsu ortum esse, cui ut sententiam accommodaret, postea perversa librarii alicuius sedulitas *potius quam* scripsit. Simili modo *quam* et *que* particulae propter scripturae compendia, ut videtur, saepius a librariis commutatae sunt: itaque fit, ut sponte hinc delabar ad VI, 58, quem locum Ianus sic constituit: (Indiae) *gentes et urbes quam innumerae si quis omnis persequi velit.* In his videmus *quam* particulam adiectivo, quod est *innumerus*, adiunctam esse ea potestate, ut eius notio augeatur. Hunc autem usum in positivo gradu adiectivorum [56]) satis rarum, de quo vide exempla ea, quae Haas. ad Reisig. § 228 p. 402 indicavit, munire Ianus conatus est uno loco, qui longe diversi est generis: nam XIV, 141 (Vinolenti) *alii testamenta sua nuncupant, alii mortifera loquuntur redituras que per iugulum voces non continent — quam multis ita interemptis! — volgoque veritas iam attributa vino est* verba quae cancellis inclusi, propter concitatum dicendi genus, quod in toto loco cernitur, aptissime per exclamationem dicta intelleguntur, qualem Plinius ablativis absolutis [57]) aut enunciatis e coniunctione suspensis conformare amat, id quod multis documentis pp. 45. 82 diligenter congestis comprobatur a Grasbergero; cfr. etiam Opitz. p. 14. In quo numero est etiam locus non dissimilis XXXIII, 145 *Drusillanus nomine Rotundus .. quingenariam lancem habuit, cui fabricandae officina exaedificata fuerat et comites eius octo ad CCL libras, quaeso, ut quam*

---

[56]) *Quam* particulae apud superlativi gradum positae exempla adnotavit Fels. p. 29.

[57]) Hac occasione oblata paucis commemorare liceat VII, 167, ubi Plinius fragilitatem et brevitatem vitae humanae conquestus postquam vel quietis nocturnae horas et infantiae senectaeque annos accurata et iusta aestimatione vitae nostrae vix adnumerari posse dixit, pergit ad ceteras res securum vitae nostrae usum infestantes enumerandas hoc modo exclamans: *Tot periculorum genera, tot morbi, tot metus, tot curae ...* Iam exspectas structuram, ut instituta sit, continuari, sed falleris: nam sequuntur ablativi absoluti: *totiens invocata morte, ut nullum frequentius sit votum!* An cum r scribendum sit *mors?* Tum sane concinna structurae aequabilitas evadit. Fortasse vero *totiens* delendum sit, ut haec prodeat sententia: „dass kein Wunsch häufiger ist, als die Anrufung des Todes." Id quod aptissimum est, quum mortis invocatio non possit in numero earum rerum haberi, quae vitae nostrae infestae sint, sed potius ex his rebus consequatur. Sed exspectandae erunt copiae Detlefsenii, qui libros a D ad librum VII contulit.

*multi eas conservi eius inferrent aut quibus coenantibus!* Neque vero ad XIV, 8 licet provocare, nam ibi ex M *etiam* pro *quam* ab ipso Iano recte restitutus est, ut totus locus nunc sic se habeat: *vitium principatus in tantum peculiaris Italiae est, ut vel hoc uno omnia gentium vicisse etiam odorifera possit videri bona.* Verum etiamsi ille usus a Plinio abiudicari non posset, hoc tamen loco adhiberi omnino nequit propterea quod adiectivi *innumerus* notio ita comparata est, ut neque crescendi accessionem habeat neque deminuendi naturam. Quid enim? An vero caeli stellae magis innumerae sunt quam guttae oceani? Quas ob causas adduci non possum, ut Ianum bene huic loco consuluisse credam, sed Sillgio adsentior, qui codicibus faventibus dedit: *Gentes ei* (h. e. Indiae) *urbesque innumerae.* Scilicet *ei* haustum est ex $R^2$, *nubesque* ex R$\Theta$, ad cuius speciem proxime accedit *urbes quae* (d); contra *urbes quam* unius T codicis nititur auctoritate.

Restat libri duodecimi § 105, ubi Plinius quum describat calamum odoratum, cui inde nomen est, quod inter omnes calamorum species solus suavi odore praestat, secundum Silligium et Ianum dicit haec: *nihil ergo* (calamus et iuncus odorati) *a ceteris sui generis differunt aspectu, sed calamus praestantior odore statim e longinquo invitat, mollior tactu* cet. Aspectu igitur calamus odoratus ceteris sui generis non differt: odore differt et mollitia; tactu enim est mollior, odore praestantior quam ceteri. Itane ceteri quoque odore praestantes sunt, ille vero praestantior? Num hoc Plinius re vera dicere voluit? Immo ceteri calami odoris sunt expertes, odoratus qui vocatur praestanti odore praeditus. Quare veritatis notam prae se fert quod M exhibet, *praestanti odore,* sed *praestantior* mendo affectum est et e dittographia syllabae *od* repetendum videtur.

Pergimus ad libri XIII locos aliquot codicis rescripti opera ad sanitatem reducendos. Ac breviter attingere satis habeo § 39, ubi fortasse vitiatum non est, quod in M scriptum est: *vocantur autem chamaerepes, folio latiore ac molli, ad vitilia utilissimae* (Sillig. et Ian. *utilissimo), copiosae in Creta;* nam si folia ad vitilia sunt utilissima, hoc etiam de arbore ipsa recte dici posse videtur; facilius autem fieri poterat, ut a festinante librario *utilissimae* ad *folio,* quam ad *chamaerepes* referretur itaque *o* pro *ae* poneretur.

XIII, 53 in Iani exemplo legitur sic: *Et maioris cedri duo genera. quae floret, fructum non fert, fructifera non floret.* Haec nemo facile corruptum putabit, sed potius id quod M praebet: *quae flores, fructum non fert* tanquam depravatum abicere proclive est. Nihilominus tamen temperare mihi vix possum, quin proferam, qua mihi interpretatione videatur codicis rescripti scriptura commode defendi. Statuo enim zeugmatis figuram hoc loco ita a Plinio adhibitam, ut e sequenti verbo negativo *non fert* ad nomen *flores* positivum verbum *fert* suppleatur. Zeugma enim a Pliniana elocutione non alienum esse, exempla declarant haec, quae Silligius adnotavit ad XXVI, 80, ubi sanandi verbum ex antecedentibus supplendum est: *urinam cient anagallides, acori radicis decoctum vel ipsa trita potaque et omnia vesicae vitia* (sanat); neque aliter XX, 15 *carnes eius* (colocynthis) .. *spinae et lumborum ac coxendicum dolores*, ubi ex verbis antecedentibus *tollunt* et *sistunt* intellegendum est „sanant“; XXI, 140 *Iris rufa .. alvom solvit duabus drachmis cum melle, tussim, tormina, inflationes pota, lienes ex aceto*, ubi quum *solvit* in nomina ultimo loco posita non quadret, „sanat“ tacite subaudias necesse est. Paulo alius generis est II, 23 *huic* (Fortunae) *omnia expensa, huic omnia feruntur accepta*. ubi *feruntur* non modo ad *expensa*, sed etiam ad *accepta* pertinet, quamquam in hac locutione „referuntur“ Latini sermonis consuetudine desideratur. Hoc autem loco, de quo agimus, quamvis zeugmatis usus multo audacior sit, idem tamen in Latino sermone non inauditus est, id quod Rothius ad Tac. Agr. Exc. XXXII p. 272 docuit, qui haec exempla e Tacito petita composuit: Ann. XII, 64 *Agrippina, quae filio dare imperium, tolerare imperitantem nequibat*, ubi manifestum est ex verbo *nequibat* positivum verbum „quibat“ ad *dare* infinitivum supplendum esse, et similiter „potest“ in priori membro intellegendum est XIII, 56 *deesse nobis terra in vitam: in qua moriamur, non potest*, qui locus simul monstrat membrorum inaequalitatem supra (p. 21) significatam: denique Histor. I, 8 *Rufus, vir facundus et pacis artibus, bellis inexpertus* positiva notio „expertus“ ad *pacis artibus* in priori membro desideratur, neque enim cum Walthero ad h. l. *pacis artibus* pro ablativo qualitatis quem vocant venditare poteris propter adiectivi absentiam, quod non abest exemplis iis, quibus suam ille rationem defendere frustra conatus est. Conferre iuvat etiam Horat. Od. I, 18, 5

*Quis post vina gravem militiam aut pauperiem crepat? Quis non te potius, Bacche pater, teque, decens Venus?* Nam ex verbo *crepat* quivis cogitatione supplebit in altero membro verbum, in quo plane contraria notio insit, ut „praedicat" vel tale quid. Quamquam quid loquor de Tacito et Horatio? Ecce etiam apud Plinium exstat exemplum illustrissimum, nam XXXII, 26 *Amputari hos ab ipsis cum capiantur* *negat* *Sextius diligentissimus medicinae; quin immo parvos esse substrictosque et adhaerentes spinae nec adimi sine vita animalis posse,* ex verbo *negat* intellegendum est affirmativum aliquod verbum dicendi, ex quo insequentes accusativi cum infinitivis apti sint, et prorsus idem valet de XV, 1 *Oleam Theophrastus .˙. negavit nisi intra XL milia passuum ab mari nasci, Fenestella vero* (affirmavit) *omnino non fuisse in Italia Hispaniaque aut Africa Tarquinio Prisco regnante.* Vetat quidem Grasbergerus, qui et ipse priorem locum p. 17 attulit, ad zeugma confugere, quia „a Plinio saepissime omissa sint verba dicendi, narrandi, affirmandi insequente statim auctoris alicuius sententia," sed idem p. 18 in exemplo simili hanc verbi ellipsin zeugmatis figura explicat, et omnibus locis, quibus observationem suam comprobare studuit, tale dicendi verbum ex iis quae antecedunt supplendum est. Cfr. supra p. 45 med., ubi ipse alia eius generis exempla indicavi.

XIII, 70, ubi de chartae usu eiusque historia agitur, unus codex M novum aliquod verbum Plinio vindicat, quo neque Plinius alio loco neque ullus alius scriptor usus est; habet enim haec: *postea promiscue* *repatuit* *usus rei qua constat immortalitas hominum.* Et Ianus quidem insolitum verbum civitate donare dubitans praetulit, quod vulgatum erat, *patuit*; ego cum Urlichsio facio, qui Chrest. Plin. p. 178 haud dubitanter *repatuit* in textum recepit. Nam quod vox aliqua apud Plinium solitaria est neque usquam alibi legitur, id argumenti instar esse non potest, quo eam ut commenticiam et interpolatam damnemus, quoniam satis frequenter in naturali historia reperiuntur vocabula, quae Plinius ipse finxisse aut e vulgari sermone primus adscivisse videtur: nam ut taceam de voce *spiratus,* quam ipse Ianus XI, 6 invito codice M agnovit, quis non statim meminerit „castrensis" illius vocabuli *conterraneus* (praef. 1), quo qui post Plinium uteretur nemo exstitit? Enumerabo etiam alia nonnulla, quae in promptu habeo: neque ea quidem referenda sunt inter „rustica illa vocabula aut externa, immo

barbara," quibus uti se coactum fuisse dicit in praef. § 13, sed Latinae sunt originis et formationis et aperte produnt eruditi hominis studium noviciis vocabulis sagaciter inventis orationi brevitatem vel perspicuitatem vel etiam gravitatem afferendi. Sic nova amat substantiva abstracta, ut *accidentia* XXXII, 19, quod post eum posuit solus Tertull. de anim. 11. 21; *transfiguratio* VII, 188 (cfr. Tert. adv. Prax. 27); *fabulositas* VII, 174. XII, 11; *adversitas* XI, 90, quod ἅπαξ εἰρημένον videtur esse; (ceterum de subst. abstract. usu cfr. Grasb. p. 76). Praeterea apud Plinium primum leguntur *olfactus* VIII, 9. XXXII, 28. XXXV, 182; *olfactatrix* XVII, 239; *olfactorium* XX, 92; *glutinamentum* XIII, 81 *dormitorium* pro subst. usurpatum XXX, 51; *mangonium* X, 140. Multa deinde etiam adiectiva primus, quod sciamus, derivando fecit, quae posterioribus temporibus satis raro inveniuntur aut apud poetas aut apud provinciales scriptores, qui noviciis vocabulis mirifice delectabantur: *visibilis* XI, 146, quod postea Appuleius et Prudentius usurpasse feruntur, *inremediabilis* XXV, 152, quamquam hoc iam Maecenas posuit ap. Senec. Ep. 114, 5; *ineffabilis* V, 1. XXVIII, 20; *machinalis* (scientia) VII, 125, cfr. Auson. ep. 21, 34; *letalis* adiectivum iam apud Vergilium legitur, sed *letaliter* adverbium Plinius primus fecit XI, 206; *mangonicus* XXI, 170, cfr. Suet. Vesp. 4; *monstrificus* II, 7. VII, 64. XXI, 26. XXVIII, 92. XXXVII, 192, cfr. Val. Flacc. VI, 152; *monstrifice* XXVIII, 181; *velificus* VI, 57. XIII, 70; *fetificus* IX, 161; *fetifer* VII, 33; *ficticius* XIV, 98. 100. XV, 24. XXXVII, 199; *facticius* XXXI, 81. 91; *carinatus* XI, 207. Novicia verba sunt *mangonicare* XXXII, 135; *fetificare* X, 90. 126; *stipendiari* VI, 68, quod legitur etiam ap. Tert. adv. Marc. 3, 13. Haec strictim indicasse satis habeo, ut evincam, propter solam raritatem non repudiandum nobis esse apud Plinium verbum aliquod, dummodo recte formatum sit et apta significatione praeditum [58]). Haec autem in repa-

---

[58]) Fortasse etiam XI, 213 M fide non indignus est, qui praebet *spiritantes*, ubi vulgo legitur: *Plerisque animalium est et pinguitudo sine sensu, quam ob causam sues spirantes a muribus tradunt adrosos. Spiritare* enim recte a *spirare* derivatum est, sicut *clamitare* a *clamare*, *rogitare* a *rogare*, alia; frequentativum autem quod vocari solet, ut saepe, simplicis verbi notionem auget et amplificat, ut intensivum potius appellandum sit. Haec vero significatio ab hoc loco non aliena est, quo magis etiam emineat rei narratae miraculum.

tendi verbum prorsus quadrant. Primum enim de recta formatione dubitari vix potest: nam brevem vocalem *a* non semper in verbis compositis mutari in *e* aut *i*, documento est verbum *manere*, ex quo compositione facta sunt *permanere* et *remanere*: quorum ad similitudinem *repatere* ex *patere* formatum est. Deinde vero si de huius loci ratione et sententiarum connexu quaerimus, non potest aliud verbum huic loco magis esse conveniens. Sic enim Plinius narrat: quum chartarum praeparandarum ars in Aegypto inventa esset, primo omnibus promiscue patuit chartarum usus; deinde autem quum Eumenes Pergamenorum rex magnam bibliothecam pararet, Ptolemaeus invidia et aemulatione ductus chartas ad exteras nationes exportari vetuit, quo factum est, ut Pergami membranae reperirentur; postremo Ptolemaei lege abolita patuit rursus h. e. repatuit usus rei, qua constat immortalitas hominum. Denique, ut hoc quoque addam, nec obscura est depravationis origo: nam propter *ue* syllabam antecedentem facillime potuit *re* obliterari.

In enunciato statim insequenti (§ 71) cum M legendum erit *in palustri Aegypti* — nam hoc procul dubio, qui M scripsit, invenit in exemplari suo — pro eo, quod adhuc vulgo editum est: *Papyrum ergo nascitur in palustribus Aegypti aut quiescentibus Nili aquis, ubi evagatae stagnant* e. q. s. Notissimum quidem est, pluralem numerum adiectivorum neutrius generis adiuncto genetivo usurpatum esse, ut XIV, 110 *Patavinorum in palustribus;* XI, 280 *in Ciliciae montuosis;* VII, 24 *in meridianis Indiae;* VIII, 139 *arborum aut saxorum cavis* (cfr. Grasb. p. 25); sed etiam singularis numeri eundem usum fuisse iam inde a Sallustii aetate maximeque apud Livium et posteriores scriptores, multis exemplis comprobatum est a viris doctis, de quibus vid. Haas. not. 524 ad Reis. schol. Lat. Et sic Plinio quoque hic usus manifeste vindicatur locis his: II, 10 *librari medio spatii tellurem;* 190 *medio terrae;* 129 *medio diei aut noctis;* 228 *ad medium noctis;* XX, 100 *medium eius* (scillae); XVI, 41 *in excelso montium;* cui non dissimilia sunt, quamquam dativus pro genetivo positus est, exempla haec: XIX, 9 *in vicino Alianis,* et *in contermino Arabiae,* quod, si Grasbergero p. 23 credimus, loco aliquo legitur, quem tamen numeris falso indicatis non inveni. Singulari igitur numero, quem restitui volo, a grammatica quidem ratione nihil obstare videmus; rei vero, quae narratur, statui aptissimus est, quum non plures palu-

stres regiones Aegypti intellegantur, sed una potissimum Aegypti pars in ea regione, quae Nili Delta vocatur, sita: in Sebennytico enim et Saite nomo omnem chartam nasci § 69 dictum est. — In transcursu de papyri vocabulo monere placet, Pliniani usus non esse discrimen illud, quod Urlichs. p. 178 ad hunc locum significavit: „*papyrum* die Pflanze, *papyrus* der nutzbare Theil;“ nam forma, quae in *us* desinat, Plinium usum esse certo demonstrari non potest, quum ubi nominativus, quo casu solo genus dignosci possit, positus est, semper neutrius generis forma usurpata sit. Ceterum ne dilucide quidem indicatum est illud discrimen, quod quo auctore nitatur nescio: nam quaenam est illa pars hominibus utilis? Radicem, corticem, librum, omnes denique plantae partes in hominum usum conversas esse legimus.

XIII, 116 Plinius postquam bryam silvestrem in Achaia gigni et in Syria et in Aegypto copiosam esse dixit, narrationem continuat verbis his: *cuius infelicia ligna appellamus, quae tamen infeliciora sunt Graeciae; gignit enim arborem ostryn ... qua in domum inlata difficilis partus fieri produnt mortisque miseras.* Sic a cunctis editoribus adhuc vulgatum est; Silligius tamen pronomen relativum *quae* iure in suspicionem adduxit coniectando *qua:* recte enim perspexit, in enunciatione illa relativa non inesse sententiam eam, quae totius loci ratione necessario postuletur. Nam, nisi me omnia fallunt, ex vulgata horum verborum conformatione aliter intellectus elici non potest, quam ita ut *quae* ad ligna referamus et *Graeciae* pro dativo incommodi, quem dicunt, accipiamus; unde haec nascitur sententia: „bryae silvestris ligna infelicia appellamus, sunt tamen infeliciora Graeciae.“ At hoc quis putabit Plinium pronunciare voluisse, quum luce clarius sit, enunciatione illa relativa contineri comparationem inter bryam silvestrem et ostryn institutam, qua ab illa ad hanc apta transitio fiat? Quod si teneamus, facile intellegimus, orationem necessario procedere sic: bryae silvestris ligna appellamus infelicia, infelicior tamen est Graeciae arbor, ostrys, quippe qua in domum illata partus difficiles fiant mortesque miserae.“ Hanc autem mentem ut restituamus, quid opus est coniecturis? Ecce inest haud dubie in iis, quae M nobis offert: *quae tamen feliciora sunt Graecia.* Admisit enim Plinius breviloquentiam illam in duarum rerum comparatione apud Romanos scriptores satis fre-

quentem, quam Reisig. schol. Lat. § 378. p. 679 tractavit: quam si non admisisset, pro *Graecia* plene ei dicendum fuit „lignis Graeciae.“ Neque vero hanc interpretationem abhorrere a Plinii genere dicendi, inde satis patet, quod illa comparandi ratione saepius usus est: exempla tamen colligendi otium mihi fecit Silligii diligentia, qui ad XXXII, 149 huius generis locos aliquot adnotavit [59]). Ac ne quid desideretur in argumentatione, scripturam vulgatam sic explico, ut ex literis *en* post *tamen* falso iteratis natam eam esse statuam.

XIII, 132 Ianus priores secutus sic scripsit: (cytisus) *seritur cum hordeo aut vere semine, ut porrum, vel caule autumno ante brumam.* In his verba *cum hordeo* si per se spectamus, duplicem habent interpretationem, quarum altera ea est, ut cytisum una cum hordeo sive hordeo mixtum seri putemus. Quam huic loco convenire tantum abest ut ullo indicio comprobetur, ut reici videatur iis, quae paulo infra (§ 133) leguntur: *obiterque inter ordines alium et cepas seri fertile est.* Altera, quam Harduinus statuit, ea est, ut his verbis idem significetur ac si dicas: cytisus eodem tempore atque hordeum seritur, atque hanc veram esse, inde concludi licet, quod XVIII, 201 Plinius hordeum inter aequinoctium auctumni et brumam serendum esse dicit, id quod congruit cum cytisi serendi tempore supra indicato. Iam quum eandem sententiam codicis M scriptura dilucide exprimat, non intellego, cur a Iano spreta sit; quid enim habes, quod iure reprehendas in verbis sic constitutis: *seritur, cum hordeum, aut vere* cet.? Illud quidem, quod in enunciato temporali verbum deest, offensioni minime potest esse; nam quum omnino ellipsis in Pliniana oratione pervagata sit, tum ea satis frequenti usu reperitur, qua ubi enunciatum aliquod primarium et secundarium idem verbum

---

59) Nonnulla certe exempla hic adscribere non abs re erit: XXXII, 149 .. *larinus, lepus, leones, quorum bracchia cancris similia sunt, reliqua pars locustae.* VIII, 111 *simile fibris et ingenium* (vituli marini). XII, 67 *corticem levem similemque unedoni.* XIII, 53 *semen eius cupresso simile.* 58 *caudex arboris similis populo, folium ulmo.* XVI, 18 *folium tenue .. populo simile.* 108 *alaternus, cui folia inter ilicem et olivam.* XVIII, 82 *Aegyptus similaginem conficit e tritico suo nequaquam Italiae parem.* XXI, 29 *odor est cinnamomo proxumus.* XIII, 49 *nec pauciores fico traduntur colores* h. e. fici coloribus sive quam fici colores.

habent, verbum hoc semel ponatur idque in enunciato primario, velut XV, 4 *verumtamen* (oleae) *et tondentur, cum et vites.* XI, 121 *Caput habent cuncta, quae sanguinem.* Ib. 248 *omnia digitos habent, quae pedes.* Ib. 220 *arteriae carent sensu, nam et sanguine.* XVII, 214 *Plagas ad septentriones aut ad meridise spectare vetuimus; melius, si neque in occasus solis* (spectant). XI, 206 *Renes habent omnia quadripedum quae animal generant, ova parientium testudo sola* (habet), *quae et alia omnia viscera* (habet). In eodem genere est XXVIII, 80 *Ne igne quidem* (bitumen) *vincitur, quo cuncta* (vincuntur), quem locum Grasb. p. 16 nescio qua de causa in iis posuit, in quibus „contrariae sententiae verbum aliquod dicendi declarandique desideratur.“ XIII, 73 *Nascitur* (papyrum) *et in Syria circa quem odoratus ille calamus lacum*, quod satis dure dictum est pro: „circa lacum, circa quem od. ille cal. nascitur.“ Paulo diversus est locus hic XIX, 113 *omnia haec iubentur seri, cum luna sub terra sit, colligi, cum in coitu.* Quin etiam in utroque membro verbum omissum est XI, 221 *quibus multus et pinguis* (sanguis), *iracundia.* Ib. 247 *omnibus hi* (ungues), *quibus et digiti.* XVII, 214 *non eadem in vite quae in arbustis libertas, quoniam certa latera.* Ib. 224 *ut homini nervorum cruciatus, sic et arbori.*

XIII, 139 leni mutatione facta codicis M scriptura, cui etiam adsentitur d, in quo est *ferentibus,* revocanda est. Deleta enim in *laurum* litera *m,* quae dittographia orta est, cum M scribimus sic: (mirum est) .. *in mari rubro silvas virere, lauru maxime et oliva ferentibus bacas et, cum pluat, fungos, qui sole tacti mutantur in pumicem.* Ablativi absoluti tam facile intelleguntur tamque aptum habent explicatum, ut ne verbo quidem opus sit, quo commendentur; ablativus autem quartae declinationis, qui est *lauru,* non abhorret a Pliniano usu, cuius rei testes sunt loci hi: XIII, 10 *lauru* (cod. R); XV, 26 *lauru admixto.* 132 *genus laurus.* 138 *silva laurus,* ubi *lauris* a, *lauri* βγ exhibent; XIV, 112 solus r habet *lauri* pro *laurus,* quod in ceteris libris legitur, et ibidem Ianus ex M recepit *cupressus* genetivum; XV, 101 idem coniecit *laurui* pro *lauri* (D a), quod sane probabilius est quam mutata in genetivum constructio; XVII, 99 *platanum in lauru.* Cfr. Fels. p. 17. Hor. Od. II, 7, 19 *sub lauru mea.* His quoniam sententiam meam satis mihi videor firmavisse, sequitur, ut de librorum XIV et XV locis nonnullis dicam.

Vulgo legitur XIV, 30 *Quo dulcior est cocolobis, hoc melior; sed et austera transit in dulcem vetustate, et quae dulcis fuit, in austeritatem.* Hic M praebet *vetustatem*, quod iam Dalecampius e codice aliquo, ut videtur, recte recepit. Primum enim si de diplomatica quaerimus ratione, accusativus pro errore haberi vix potest: nam lineolam literae *e* suprascriptam a librario neglectam quam adiectam esse verisimilius est, praesertim quum structura, quae ablativo efficitur, minus exquisita et intellectu facilior videri deberet. Deinde vero sententiae nulla differentia est, sive ablativum sive accusativum ponis; nimirum senescentem cocolobin dulcem fieri Plinius indicat. Accusativus autem affert orationi poeticum quendam colorem, qui in eo conspicitur, quod adiectivum traiectum et ei nomini, cui proprie non conveniat, attributum est: hoc autem, quandoquidem *dulcem vetustatem* vini Plinius appellat, quodammodo non dissimile est illi adiectivi traiectioni apud poetas usitatissimae, de qua — ut hunc brevitatis causa nominem — Reisigius schol. Lat. § 349 (cfr. not. 522) disputavit et cuius apud Plinium haec in promptu habeo exempla: VII, 10 *ferarum volucri genere* pro „ferarum volucrium genere," XXI, 4 *mixtura versicolori florum*, XIII, 70 *velifico navigi cursu*, ib. 75 *Fanni sagax officina* et XXVI, 16 (quem locum Grasbergero p. 80 debeo) *pensili balinearum usu;* cfr. IX, 168. Comparari potest etiam VIII, 7, ubi de elephantorum dentibus eburneis legimus: *cetero et in his quoque qua corpus intexit* *v i l i t a s* |*o s s e a*, nam quod proprie substantivo designandum erat, exquisito loquendi modo adiectivo expressum est. Quod vero in altero sententiae membro Plinius non *in austeram* (scil. vetustatem), sed potius *in austeritatem* dixit, id mihi ab eo non opponetur, qui illud variandi studium, de quo supra dixi, in memoriam sibi revocaverit. Neque etiam illud supervacaneum videtur adnotare, quod in re simili Plinius non minus insolentem et dedita opera exquisitam locutionem adhibuit XI, 242 *omni in salem caseo senescente.*

Valde mirandum est, quod Ianus XIV, 33 vulgatam lectionem: (helvennaca) *carbunculari negatur* retinuit, quamquam M d activae formae infinitivum habent, et ceteris quoque locis, in quibus hoc verbum apud Plinium legitur, activa forma omnium editorum suffragio nunc comprobata est: XVIII, 272 *unde* (vites) *carbunculare dicuntur;* XII, 27 (iuniperi) *caeli in-*

*temperie carbunculant* (sic R a Θ, *carbunculantur* d β γ); XXIII, 70 *carbunculantibus;* XXIV, 113 *carbunculantia.* Hi loci igitur testatum faciunt, verbum carbunculandi potestate intransitiva sic usurpatum esse, ut significet „carbunculi vitio laborare," quumque etiam eo loco, de quo quaerimus, vetustissimi codicis testimonio activa forma commendetur, passivam formam Plinio ignotam fuisse videmus. Quid? si inde concludendum est, hanc omnino non fuisse Latini usus? Nam quum id verbum nisi his locis Plinianis non legi videatur, merito dubitaveris, sitne passivum a Latinis adhibitum.

XIV, 84 vulgata sunt haec: *His* (vini generibus) *adiciunt aliqui quod vocant diachyton, uvis in sole siccatis loco cluso per dies septem in cratibus, totidem pedes a terra alte, noctibus a rore defensis, octavo die calcatis; ita fieri optumi odoris saporisque.* In his verbis Ianus nihil mütavit, sed ut verba typis insignita mutanda censeamus, auctoritas exigit codicis M, qui praebet *ab umore,* quod, quoniam luce clarius est quomodo orta sit scripturae discrepantia, non est cur pluribus verbis commendem. Librarius nimirum, qui umorem noctis nihil aliud intellegi posse quam rorem consideraret, Plinii orationem accuratiorem reddi et elegantiorem arbitratus est, si *a rore* substitueret pro eo, quod in archetypo exaratum invenerat.

In fine huius libri, qui est de vite potissimum et de variis vinorum generibus, Plinius conqueritur, nulla parte mundi cessare ebrietatem, nullam gentem vacare hoc vitio, quum etiam Occidentis populis vini expertibus sua sit ebrietas: nam Gallos et Hispanienses et Aegyptios e frugibus aqua madefactis pluribus modis potus sibi excogitasse, quibus inebriarentur, et ita factum esse, ut „saluberrimus ad potus aquae liquor" quoque inebriaret. Itaque exclamat § 149 *Heu mira vitiorum sollertia!* [60]) *inventum est quemadmodum aquae quoque inebriarent.*

[60]) Liceat mihi hoc loco adicere observationem quandam grammaticam. In huiusmodi enim epiphonematis, quibus scriptoris iudicium aliquot exprimitur, Plinius interiectionibus *o* et *heu* nominativum saepius quam accusativum adiungit. Sic legimus praef. 5 *o magna fecunditas animi!* VII, 137 *o prava interpretatio et futuro tempore infelix!* VII, 3 *heu dementia ab his initiis existimantium ad superbiam se genitos!* ib. 132 *heu vana et imprudens diligentia!* XXXII, 3 *heu vanitas humana!* His locis omnibus nominativus librorum consensu confirmatus est solo excepto VII, 3, ubi Rob. β γ

Hunc numerum pluralem *aquae*, quem contra Silligium et Ianum posui, praebet M et *inebriarent* non modo in hoc libro, sed etiam in a d exstat, quorum auctoritati cur hoc loco diffidam, parum mihi liquet. Nam quum Plinius de variis potibus cogitet, qui pluribus modis et variis nominibus, sed ratione omnes eadem ex aqua conficiantur, eos improprie diversa genera aquae denominare et suo iure pluralem numerum usurpare potuit. [61])

Iam ut ad librum XV nunc transeamus, in § 14 nondum sublatum esse video mendum, quod codicis M opera facile tolli poterat. Ac quo dilucidius cognoscatur, quam non ferenda sit vulgata lectio, quam Ianus abicere noluit, totius loci sententiam, quantum fieri poterit, ipsius Plinii verbis explanabo. Docet igitur (§ 6), optimam aetatem ad olivas decerpendas esse inter copiam bonitatemque incipiente baca nigrescere; nam (§ 9) quum color amurcae, qua oleum vitiari soleat, olivam nigrescere cogat, incipiente nigritia minimum amurcae adesse et falsam esse hominum opinionem nigrum colorem maturitatis initium existimantium, quum sit vitii proximum. Nonnullas tamen olivarum species, ut Licinias, Cominias, alias, quae „contra humorem pugnaces" difficilius amurca vitientur ideoque non

---

*dementiam* praebent, Sillig tamen et Ian. RTd iure secuti sunt. VII, 132 R *vane* et d *diligentiae* exhibere, mentione vix dignum. Accusativus reperitur locis his: XVI, 14 *o mores aeternos!* XXXIII, 50 *o dignum proscriptione!* ib. 141 *o viros illo imperatore dignos!* Est igitur *o* interiectio bis cum nominativo, ter cum accusativo coniuncta, sed *heu* nullo loco accusativum attraxit; itaque existimo etiam his locis, in quibus dubitari potest, quis casus intellegatur, de nominativo cogitandum esse: XIX, 54 *heu prodigia ventris!* XXXIII, 4 *heu prodiga ingenia!* ib. 153 *Heu mores!* Sine interiectionis particula dictum est *malum!* VII, 190. XXXIII, 137. Cfr. Ruddim. Institt. II, p. 338. Madvig. § 236. Zumpt. §§ 402. 3.

[61]) Ceterum de pluralis numeri usu comparari potest Grasb. pp. 71 sq., qui nonnulla exempla abstractorum potissimum nominum promiscue congessit, sed neque singulorum locorum proprietatem explicavit neque genera aut species distinxit, sed in universum nihil aliud dixit nisi esse ea exempla „apertiora documenta, quam liber ac legibus solutus ubique pateat numerus pluralis apud Plinium." At quum non indicaverit, quaenam sint illae leges, a quibus tanquam in libertatem Plinius se vindicaverit, nihilo magis proficimus quam in re alia vaga illa Urlichsii adnotatione ad VII, 104: „Der Gebrauch der ablat. absol. ist bei Plin. fast unbeschränkt!" Omnia exempla colligenda et accurate digerenda sunt, ut appareat, quos sibi Plinius terminos quamque legem propriam in hoc usu constituerit.

ante favonii adflatum, hoc est, ante d. VI idus Febr. nigrescant, decerpi non ante Martium mensem, quia tunc maturescere credantur. Sed hoc plane perversum esse, quamquam, quoniam probatissimum ex iis fiat oleum, accedere etiam ratio pravitati videatur. Continetur autem haec ratio hominum perverse iudicantium verbis vulgo in hunc modum constitutis: *ferunt frigore sterilitatem fieri, sicut copiam maturitate.* Quam rationem sic refellit Plinius, ut eam olei bonitatem non tardo tempori decerpendi, sed potius olivarum generi tarde in amurcam putrescentium tribuendam esse dicat. Haec est summa totius argumentationis. Iam quo consilio putabimus homines a Plinio vituperatos protulisse rationem illam? Nimirum ut pravitati suae et stultitiae non modo excusationem, sed etiam laudem et commendationem pararent et prudentiae quandam speciem induerent. Nonne igitur virtutes quasdam olivarum necesse est indicari verbis modo laudatis? Et profecto quod copia maturitate fieri dicitur, accommodatum est huic commendandi consilio; at *sterilitate* quis est quin offendatur? An cogitari recte poterit, sterilitatem ab homine sano in olivarum laudibus positam esse? Hoc quam absurdum esset, iam Dalecampius, quo tamen posteriorum editorum nemo videtur admonitus esse, perspexit ideoque *suavitatem* scripsit, qua coniectura carere nunc facile possumus, quoniam *austeritatem*, quod M [62]) praebet, verum esse in propatulo est: nam quum secundum Catonem (§ 21) oleum quam acerbissima oliva fiat optimum, olivarum austeritas in virtutum numero habenda est. *Sterilitatem* vero a librario, qui verbum in exemplari suo fortasse parum distincte exaratum legere non posset, proprio tentamine positum est, ut quod neque a literarum similitudine multum abesse et copiae aptissime opponi videretur.

XV, 46 secundum optimos libros a Silligio sic scriptum erat: *sed pruna quoque omnia post Catonem coepisse manifestum erit.* Hoc futurum legitur in D et a, in quo prior manus *est erit* posuerat, altera *est* delevit; quibus quamquam M, qui et ipse *erit* habet, adsentitur, tamen Ianus vulgatam lectionem

---

[62]) Quod M accusativum *maturitatem* habet, librarii peccatum est, qui in his et insequentibus paragraphis complura eiusmodi peccavit, velut § 15 *magnitudinem.* 25 *silvestrem*, alia.

*est* ex codice d revocavit. Sed immerito, ut mihi videtur, quoniam futurum illud perfacilem habet rationem explicandi: est enim ea vi ac sententia positum, quam habet in locutionibus illis pervulgatis, ut „nemo negare poterit“ vel „quivis intelleget,“ quibus opinio aliqua non tam certo et liquido, ut nulla admittatur dubitatio, sed cum modestia quadam et ita, ut legentium adsensus spe praecipiatur, a scriptore pronunciatur. Sic Plinius dicit *meminisse conveniet* XII, 16, XIII, 16. XXXVII, 195; *ostendisse satis erit* XIV, 20; XXXVII, 192 *satis erit in his coarguisse dira mendacia;* ib. 195 *distinxisse satis erit;* XXXI, 143 *non abs re erit iunxisse* cet. Quae futuri significatio etiam inde luculenter apparet, quod aliis locis in enunciatis simillimis nullo fere sententiae discrimine coniunctivus, qui potentialis vocari solet a grammaticis, a Plinio positus est, velut V, 105 et VII, 177 *indicasse conveniat;* VI, 127 *de Tigri ipso dixisse conveniat;* et similiter XIV, 120. XVI, 156. XVIII, 125. XIII, 122. XXII, 119. XXIII, 29; XII, 36 *quod semel dixisse satis sit;* XVIII, 36 *satis sit dixisse;* XXIV, 167 *et abunde sit hactenus attigise;* II, 27 *in haec divertisse non fuerit alienum*, et multis locis aliis, quos longum est omnes hic enumerare. Nonnullis tamen locis hunc coniunctivum recte etiam iussivum dicas. Hac igitur affirmandi modestia quidni hoc quoque loco Plinius usus esse putari possit? Quum omnibus, tum vero iis locis, in quibus utraque scriptura tolerari possit, praestantissimos codices tanquam certissimos duces sequi debemus: itaque etiam XII, 36, ubi Silligius et Ianus coniunctivum posuerunt, non puto spernendum esse quod M exhibet: *semel quod dixisse satis est;* nam tametsi saepissime, ut vidimus, Plinius in locutionibus talibus coniunctivum usurpavit, tamen non desunt loci, in quibus indicativum inveniamus, ut XXXIV, 96 *notasse non abs re est;* XXVIII, 3 *admonuisse necessarium est;* XXIX, 68 *coarguisse .. refert;* XXVIII, 116 *pudet referre.*

Inter praecepta de malis condendis a Varrone data legitur etiam hoc XV, 61 *pira in vasis fictilibus picatis inversis obrui inter scrobes; Tarentina serissime legi.* Sic omnes editores: unus codex M *serissima* adiectivum habet, quod quamquam a Iano repudiatum est, tolerari tamen posse haud abnuerim. Adiectiva enim, quae temporis aut ordinis notionem indicent, adverbiorum loco usurpata esse a poetis potissimum Graecorum usum imitantibus tam notum est, ut exemplis comprobare

supervacaneum sit et legentes remittere sufficiat ad Reisig. schol. Lat. § 225, 1. Vechner. Hellen. p. 215 sqq. (ed. Heus. 1733). Neque vero a Pliniana elocutione alienum esse hunc usum exempla docent haec, quibus multa addi posse persuasum habeo: XV, 58 *in iis* (piris) *serotina ad hiemem usque ad matrem pendent gelu maturescentia Graeca, ampullacea* cet.; VIII, 151 *optumus* (canis) *in fetu* (est), *qui novissimus cernere incipit;* XI, 92 *minores* (cicadae), *quae primae proveniunt et novissimae pereunt;* XIV, 38 *novissima haec uvarum .. reperta est;* XV, 71 *novissima sub hieme maturatur chelidonia.* Ac similem adiectivi *rarus* usum in comparationem vocare licebit: VIII, 46 *leones raros in potu vesci;* XIV, 30 *rarior uva aestus austrosque tolerat.* Qua de causa vetustissimam quam vulgatam scripturam sequi consultius arbitror.

Pergentibus ad paragraphum insequentem, in qua referuntur ea, quae proximi ante Plinium auctores de pomorum et uvarum cura praeceperunt, occurrunt nobis verba haec: *uvas cum malleolo sarmenti duro, demptis forfice conruptioribus acinis, in dolio picato recenti suspendi* cet. Hic ambigi potuerit, num comparativus suam rationem habeat; manifestum enim est, non solum corruptiores, sed potius omnes acinos corruptos forfice adimendos esse, ne acini integri et incorrupti ab illis corrumpantur. Sed tamen offensio haec, si qua est, tam levis momenti est, ut si scripturae discrepantia nulla esset, vix haberemus, cur locum mutatum vellemus. At alia res est, quum in M *corruptoribus* traditum sit, quod erunt sine dubio qui calami lapsum declarent pro *corruptioribus*: quos ego invicem interrogo, nonne possit eodem iure statui in hac scriptura *i* litera addita a scriba peccatum esse. Et sic profecto statuo idcirco, quia *corruptoribus* intellectum habet huic loco prorsus convenientem. Nam corruptos acinos forfice removeri iubent, quia iisdem ceteri quoque acini corrumpi et infici solent. Corrupti igitur acini iidem etiam corruptores sunt. Hoc autem substantivum ne mireris adiectivi instar positum esse, memineris loci illius iam supra allati XI, 8 *purpurarum generi infector ille sucus* (sanguis est) vel IX, 119 (Cleopatra) *regina meretrix.* Cfr. multos locos simillimos a Grasb. p. 78 tam ex Plinio quam ex Vergilio, Seneca, Tacito, aliis scriptoribus collectos; Haasii adnot. 177 ad Reis. schol. p. 155.

# CAPUT TERTIUM.

## De locis ex deterioribus codicibus aut coniectura restituendis.

Reliquum est, ut prolatis omnibus, quae dicenda mihi erant de optimorum codicum lectionibus vindicandis, transgrediar ad caput tertium, quo de locis eiusmodi constitui disputare, quibus, quum in praestantissimis libris depravationem subierint, aut codicum inferioris ordinis opera aut coniciendo medicina paranda sit. Minoris autem hoc caput quam id, quod modo absolvi, erit amplitudinis: nam quum in campum nunc descendam lubricum et in quo facile sit labi et cadere, ex iis quae investigavi ea tantum eligam, quae mihi maxime quadam probabilitatis specie videantur induta esse: quae si non comprobabuntur assensu eruditorum, at fore spero, ut quae falsa sunt detexisse censear et aliorum sagacitati auctor exsistam veri inveniendi.[63])

---

[63]) Certe non tam temere Plinii verba attrectasse videbor, quam a Zeyssio factum est, quum in Mus. Rhen. XVIII, p. 637 locum plane incolumem XI, 65 coniectura sanare studeret. Agitur enim de iis, quae apibus inimica sunt et perniciosa; in his de papilione haec dicta sunt adstipulante codice M: *Papilio etiam, hic ignavos et inhonoratus, luminibus accensis advolitans, pestifer* (est) *nec uno modo. Nam et ipse ceras depascitur et relinquit excrementa, e quibus teredines gignuntur,* (quae ceras praecipue adpetunt). Intrat igitur papilio in alvos et duobus modis apibus nocet. Accedit deinde etiam tertius nocendi modus, qui his describitur verbis: *fila etiam araneosa, quacumque incessit, alarum maxime lanugine obtexit.* Haec significant haud dubie, papilionem similiter atque araneos, qui „quum praevaluere, ut intexant, enecant alvos," fila obtexere, quibus apes impediantur. Quae tam bene intelleguntur, ut nihil sit, quo displiceant. Sed Zeyssio displicent, qui *folia* pro *fila* substitui vult. Argumenta autem non protulit, quasi per se manifesta esset depravatio, sed duos locos attulit, quasi ex his eluceret sui remedii necessitas. Et cur putavit *folia* scribendum esse? Primum quia XXIV, 108 legitur: *Est huic* (spinae albae) *similis quam Graeci acanthion vocant, minoribus multo foliis, aculeatis per extremitates et araneosa lanugine obductis*; qui locus in re plane

Ac cum Silligio XI, 6 genuinam scripturam in deterioribus libris Tdr inveniri iudico, tametsi Ianus codicem R, cui etiam priores editores consentiunt, sequi maluit; scripsit enim: *Nam mihi contuenti se persuasit rerum natura nihil incredibile existumare de ea.* Quae quicumque legerit, non poterit non offendere in mirabili illo pronominum usu; tam perverse enim pronomina *se* et *ea* posita sunt, ut si sedem mutavissent, locus recte se haberet, aut hoc certe negari non poterit, utrobique aut demonstrativum aut reflexivum pronomen desiderari. Poterit aliquis etiam aliud hoc loco incommodum monere, quoniam *persuadere* ea significatione, quae hic necessario ei attribuenda est, apud bonos scriptores non solet cum infinitivo iungi; sed hoc argumentum in Plinio nullius momenti est, qui etiam aliis locis, ut XXIX, 10 (Charmis) *frigida etiam hibernis algoribus* (aegros) *lavari persuasit,* eandem constructionem usurpavit: qua quidem non solum poetae et posteriores scriptores, sed etiam Cicero et Nepos nonnullis locis usi sunt; cfr. Haas. not. 485 ad Reis. scholas. Sed neque opus est hoc argumento, quum perversus ille pronominum usus satis ponderis apud nos habeat, ut assentiamur Grasbergero, qui et ipse p. 100 not., ubi de crebro et liberiore reflexivi pronominis usu egit, hunc locum in suspicionem adduxit; quamquam miror, quod non accurate indicavit, quidnam reponendum censeret. Mihi vero dubium non est, quin verum iam Silligius perspexerit, qui cum Tdr edidit: *nam mihi contuenti semper suasit rerum natura nihil incredibile existumare de ea;* haec enim nihil praebent molesti aut incommodi, mutatio autem perquam lenis est et ea, quae simul erroris originem perspicue ostendat; omisit enim lineolam literae *e* suprascriptam librarius, qui codicem R exaravit.

---

diversa levem aliquam et externam verborum similitudinem cum nostro habet; sed quid inde concludendum est? Nihil profecto aliud quam hoc, posse *araneosa* cum *lanugine* apte coniungi. Deinde provocavit ad Ov. Met. XV, 372—374 *Quaeque solent canis frondes intexere filis Agrestes tineae — res observata colonis — Ferali mutant cum papilione figuram.* At nonne ipse hic locus Zeyssium docere debebat, *fila* recte se habere? Loco Ovidiano de papilione idem enunciatur ac loco Pliniano, de quo agimus, nisi quod res, quibus papilio fila obtexit, diversae sunt: Ovidius enim frondibus, Plinius quacumque incesserit fila eum obtexere dicit. Haec igitur sententia latissime patens illam in se continet; nec video equidem, quomodo altera alteri refragetur, quum potius inter se confirment et muniant.

Sola auctoritate librorum ANPa Ianus videtur motus esse, ut V, 8, ubi Silligius ex RDd *plerique e Graecis nostrisque* susceperat, scriberet: *Fuere et Hannonis Carthaginiensium ducis commentarii Punicis rebus florentissimis explorare ambitum Africae iussi, quem secuti plerique a Graecis nostrisque et alia quidem fabulosa et urbis multas ab eo conditas ibi prodidere* eqs. Illorum tamen auctoritati tantum tribui non potest, ut Plinio loquendi modus inusitatus et a lingua Latina plane alienus obtrudatur; nam *a* praepositionem tanquam genetivi partitionis locum obtinere, prorsus inauditum est neque ullo exemplo, quod sciam, confirmatum; de Plinii autem ipsius consuetudine si quaerimus, ubi genetivum non posuerit, longe saepissime *ex* praepositione uti eum reperimus; cfr. Grasberg. p. 65, qui in partitione solum *ex, de* non item a Plinio adhiberi observavit. Adiectivum vero, quod est *plerique*, cum genetivo coniungere solet, ut VII, 8. XXI, 52 *plerisque eorum;* VIII, 9 *in plerisque animalium;* XI, 148 *pleraeque alitum;* XXI, 86 *pleraeque gentium;* alias *ex* posuit, cuius pauca mihi in promptu sunt exempla: praef. § 21 *plerique ex iis;* XXVIII, 87 *pleraque ex his*, ubi tamen verba *ex his* ab altera manu in cod. R addita Silligius e textu eiecit. Quare vetustissimi codicis A scripturam vitiatam esse arbritrati in RDd acquiescendum esse putabimus, donec illum *a* praepositionis usum Plinio familiarem fuisse exemplis idoneis demonstratum erit.

Nunc accedamus ad nonnullos locos, in quibus verborum modi aut tempora a librariis perperam mutata et inter se confusa sunt. Huiusmodi enim vitia creberrima esse in libris manu scriptis et saepissime ex scripturae compendiis ortam esse errandi occasionem, monuit Frid. Haasius Diurn. antiqu. a. 1836 num. 84: „cum etiam in vetustissimis libris haud raro amaverunt scribi soleat amaveȓ, facile intellegitur, quam pronum fuerit permutare inter se breviorem terminationem (amavere) et longiorem (amaverunt), nec minus frequens est amaveȓt, quod non solum pro amaverunt, sed etiam pro amaverint et amaverant accipiendum esse sciunt omnes, quibus harum̄ rerum usus est, et ego, si opus esset, multis possem comprobare exemplis, quae ipse in tractandis libris MSS observavi.“ Quapropte rsatis habebo pauca tantummodo exempla ex ipsius Plinii codicibus petita apposuisse: VII, 133 *extiterint* RΘ, *extiterunt* d. 160 *tradidere* R (ex corr.), *tradiderit* Θd, *tradiderunt* *βγ*. 156 *rogaverunt* Td, *rogaver¯* R. IX, 122 *ferent* d, *fecerent* R[1],

*fecerunt* $R^2$. XIX, 72 *fuerunt* Θad, *fuer̄* c, *fuerint* βγ. III, 116 *ceperunt* ATd, *ceperant* Rβγ. V, 8 *fuere* $AD^1Nd$, *fuerat* $RD^2$ Pa. II, 176 *deprehenderunt* $R^2$, *deprehendere* $TR^1a^1$, *deprehenderent* $a^2$, *deprehenderē* d. Et sic etiam in aliis terminationibus varie peccatum est, ut XXXIV, 112 *rubescit* BRh, *rubesc̄* V, *rubescunt* d. VII, 193 *apparet* $R^2$, *appareret* $R^1$Θ$Td^2$, *appare* $d^1$. IV, 63 *iungatur* Rd, *iungantur* A. XXXIV, 119 *fiat* BV, *fiet* Rdh. VII, 24 *appellantur* R post *ut* partic. consecut.; VII, 182 *sacrificat* Rd, *sacrificaret* βγ. XXV, 4 *mederetur* Ta, *medetur* ΘVd. XV, 67 *iubent* ar, *iubant* D, *iubeant* dβγ; ib. 91 *interpretentur* D, *interpretantur* adr. XXI, 73 *remaneant* Θ, *remanent* RV, *remeant* d. XIX, 149 *defringatur* acd, *defrangatur* ΘT, *defrangitur* r. XXXII, 37 *fiunt* BVR, *fiunt* dβγ; ib. 36 *infundatur* $B^2$ pro *infunditur; corripiuntur* K, *corripiatur* V, *corripiantur* βγ. XVIII, 350 *incidat* a, *inciderit* d, *incidit* βγ. XXII, 36 *possit* Vd, *posset* R; ibid. *laudavit* R, *laudabit* V, *laudabat* Td. IX, 14 *volvunt* $Rd^2$, *volant* $d^1$. VII, 63 *reperiatur* RK, *reperitur* Td, *reperietur* rRob. XXXVI, 101 *narretur* B, *narraretur* RTdh. His exemplis, quae aliquanto amplificare facile erit ei, qui variarum lectionum silvam editionis Silligianae vel obiter percurrere volet, certum disputationis fundamentum ieci et transitum mihi munivi ad eos locos, in quibus de verborum temporibus aut modis disceptetur. Nam quum constet, singularem et pluralem, indicativum et coniunctivum, praesens et perfectum et alia tempora saepissime inter se permutari, consentaneum est, solam membranarum auctoritatem non posse nos retinere, quin locum rerum naturae aut legibus grammaticis et usui Pliniano contrarium coniectura mutemus.

Et primum de XXXVI, 78 videamus, ubi Plinius nomina eorum enumerat, qui de pyramidum, quae in Aegypto sunt, exaedificatione scripserunt. Quem locum Silligius et Ianus cum Bamberg. cod. dederunt sic: *Qui de iis scripserint, sunt Herodotus, Euhemerus, Duris Samius* et qui sequuntur. Mihi tamen secus videtur. Indicativum enim *scripserunt,* quem VRdhr praebent, praeferendum duco. Quae enim umquam excogitari potuerit causa, qua coniunctivus defendatur? An dicas, inesse in illa enunciatione quodammodo vim interrogationis indirectae, ut ad complendam sententiam necesse sit intellegas hoc vel tale quid: „si scire velis," qui de iis scripserint? At vero haec ratio eorum esset artificiorum, quibus acuti interpretes scripto-

rum verba ita torquere soleant ac flectere, ut prodeat sententia, quae suae doctrinae faveat, a scriptoris mente aliena sit. Neque enim enunciationem, de qua agitur, explicare potueris circumlocutione hac: scriptores tales sive eiusmodi, ut de pyramidibus scripserint; non enim his verbis continetur singulare aliquod et proprium scriptorum genus a ceteris seiunctum, sed nihil aliud profecto praedicatur, quam scripsisse aliquos de pyramidibus Aegyptiorum, qui scriptores deinde nominatim enumerantur. Eandem sententiam brevius et simplicius exprimere poterat Plinius dicendo: „Scripserunt de iis Herodotus" eqs., sicut dixit XXI, 12. 13. Frustra igitur quum coniunctivi causam quaeras, ad hunc locum unice accommodatus est indicativus, qui in B librarii culpa in coniunctivum depravatus est. Hic liber praestantissimus simili modo etiam XXXVI, 66 corruptus est, ubi tamen Silligius et Ianus iure non veriti sunt ab eius scriptura recedere: *Hac admiratione operis effectum est, ut cum oppidum id expugnaret Cambyses rex ventumque esset incendiis ad crepidines obelisci, exstingui iuberet molis reverentia qui nullam habuerit urbis.* Sic B, sed *habuerat* cum illis editoribus comprobandum est, nam indicativum a Plinio poni in his enunciationibus admirationem aut indignationem significantibus, loci docent similes, velut VII, 112 *Cn. Pompeius confecto Mithridatico bello intraturus Posidonii sapientiae professione clari domum forum percuti de more a lictore vetuit et fascis literarum ianuae submisit is cui se oriens occidensque submiserat!* X, 123, ubi Plinius postquam interempti corvi funus a populo Romano innumeris celebratum exsequiis descripsit, exclamat: *Adeo satis iusta causa populo Romano visa est exsequiarum ingenium avis . . in ea urbe, in qua multorum principum nemo deduxerat funus, Scipionis vero Aemiliani post Carthaginem Numantiamque deletas ab eo nemo vindicaverat mortem!*

Aliud vitiosae scripturae exemplum est VII, 89, ubi Ianus cum codd. RTdr scripsit: *Charmadas quidam in Graecia, quae quis exegerit volumina in bibliothecis, legentis modo repraesentavit.* Silligius, cui perfecti coniunctivus displicuisse videtur, cum K posuit *exigeret,* quod ferendum non est propterea quod actiones volumina exigendi eademque repraesentandi non in unum idemque temporis momentum cadunt, sed aliquo temporis intervallo post quam quis volumina exegit, Charmadas ea repraesentavit. Coniunctivus autem quum hoc loco rationem non

habeat, convenientissimum videtur illud, quod iam veteres editiones exhibuerunt: *exegerat.*

Simili emendatione utendum est VI, 59: *Alexandri Magni comites in eo tractu Indiae, quem armis subegerunt, scripserunt V milia oppidorum fuisse* eqs. Sic nunc vulgo legitur; et profecto omnia pariter et recte procedunt nec quidquam offensionis habent excepta una illa enunciatione *quem armis subegerunt:* quae quidem recte se habere omnino non potest. Quis enim Indiam vi et armis subegit? Alexander Magnus ipse an comites eius, scriptores illi et philosophi, qui eum sectabantur et in castris versabantur? Hausit illud Plinius fortasse ex libris Clitarchi, Megasthenis, Nearchi, Onesicriti — nam hos enumerat in indice auctorum ad librum VI — sed horum nullus Indiae aliquem tractum armis subegisse dici potest, nedum id omnes consociatis viribus fecissent, id quod concludi debet ex plurali numero *subegerunt.* Apertum igitur est, hunc pluralem ferri non posse, sed singularem ponendum esse. Hoc tibi etiam magis probabitur, si librorum memoriam respexeris: nam quum R d *subegerunt,* T Rigalt. *subegerint,* ⊛ P *subegerant* tradant, veri est simillimum hanc discrepantiam ex compendiaria scriptura *subeger̄t* ortam esse.[64]) In hac autem etiam singularis numerus latere potest, ut iam Salmasio visum est, qui *subegerit* scribendum coniecit. Sed tamen huic non accedo: etenim si relativam enunciationem Plinius ad orationem obliquam accommodare voluisset, plusquamperfecti coniunctivus ponendus erat, quum

---

[64]) Idem scripturae compendium etiam XV, 88 adhibitum esse suspicatus est Urlichsius, qui pro *in Asiam Graeciamque e Ponto venere et ideo quod Ponticae nuces vocantur* in Vind. Plin. p. 189 verissime scripsit *venerunt ideoque.* Consimili ratione XIV, 97, ubi M a habent: *postea ergo alia omnia in nobilitatem venere et circiter septingentesimum urbis annum*, potueris coniectari *venerunt* scribendum esse, nisi *et* pro *et . . quidem* accipere mavis cum Felsio, qui p. 37 huius usus Pliniani complura exempla enumeravit. Haec significatio haud scio an vindicari possit illi *et,* quod legitur XXI, 12: *Et apud Graecos quidem de coronis privatim scripsere et Mnesitheus atque Callimachus medici, quae nocerent capiti,* nam *et . . atque* pro geminato *et* usurpari non potest, cfr. Hand. Turs. II, p. 529, 5. Sed si *et* pro *et . . quidem* acceperimus, fieri non poterit quin *quidam* scribamus, ut totus locus sic prodeat: *Et apud Graecos quidam de coronis privatim scripsere et* (quidem) *Mnesitheus atque Callimachus medici* (de iis) *quae capiti nocerent.* Possumus tamen locum etiam ita expedire, ut illud *et* deleamus aut pro *scripsere et* ponamus *scripserunt.*

*scripserunt* perfecto et *fuisse* infinitivo manifeste arguatur, narrationem ad tempus praeteritum adstrictam esse: qua de re infra uberius disputabitur. Itaque *subegerat* recte scribi arbitror, ut ea verba non ad orationem comitum Alexandri pertineant, sed a Plinio addita sint. Sed nondum plane sanatus est hic locus; nam quod in editionibus legitur *quem armis*, id mihi non videtur codicum testimoniis satis firmatum esse, sed coniecturae eius, qui cod. Θ exaravit, deberi. Perlustremus igitur librorum scripturas. Atque in R, quem certissimum ducem hoc loco existimari oportet, postquam a priori manu scriptum est *quem aemis*, altera manus correxit *quem his;* quam quidem correcturam falsam esse ut negari non potest, ita facile est dispicere, quomodo natum sit *quem aemis*, cui simillimum est *quevemis* a Rigaltio apud Salmasium traditum. Nam quum, ut docet *qüe in his* (d), in archetypo *quem* exaratum esset *quē*, auctor codicis R literis *ue* falso iteratis scripsit *quem ae;* reliquas autem literas *mis* perspicuum est ortas esse ex *in is*, cfr. *que in his* (d), *quem in his* (T). Hoc igitur constat, in communi archetypo scriptum fuisse *quē in is*, unde, quum intellectu careat, facili coniectura elicias *quem vi is*,[65]), ut genuina totius loci species sit haec: Alexandri Magni comites in eo tractu Indiae, quem vi is subegerat, scripserunt V milia oppidorum fuisse. Neque tamen obloquar equidem, si quis *quem is* scribere malit, literas *aem* in *quem aemis* (R) dittographia literarum *uem* ortas esse arbitratus.

Coniunctivus *utantur* perverse positus est VI, 194, qui locus in editionibus sic legitur: *Regio supra Sirbitum, ubi desinunt montes, traditur a quibusdam habere Aethiopas, Nisacaethas, Nisytos, quod significat ternum et quaternum oculorum viros, non quia sic sint, sed quia sagittis praecipua contemplatione utantur.* Verum est, quod in r legitur, *utuntur:* ipsarum enim sententiarum natura necessario postulatur indicativus. Nam quum particulae

---

[65]) Quamquam notissimum est, *m, in, ut, vi* saepius inter se confundi et permutari, afferam tamen, quo maior coniecturae meae concilietur probabilitas, exempla nonnulla: XIII, 122 *ut sambuci* d, *vi sambuci* a. VII, 63 *inanima* R², *unanima* R¹, *ut anima* d; ibid. *et ut* h, *et in* d. XXXVI, 78 *mepte* VR, *inepte* h. XXXIII, 134 *in agris* Sill., *magus is* ϱ; ibid. *ut* Bh, *vi* V, *in* RdPTl. Lucret. VI, 1175 *mersans*, quadr. *inerrans;* ibid. 1148. 1166. 1200. 1271 *ulceribus* = *viceribus;* ib. 1167 *vi est* = *ut est*, alia.

*non quia* ei inserviant causae indicandae, quae vera non est, quam tamen facile quis sibi potuerit excogitare, particulis *sed quia* illi opponitur vera et genuina causa et quae non in cogitatione hominis alicuius, sed in ipsa rerum natura posita sit. Unde sequitur, in priori membro negativo coniunctivum suam habere rationem (quamquam interdum etiam indicativum usurpatum esse videmus), ad alterum vero membrum affirmativum, dummodo ne in oratione obliqua positum sit, indicativum unice esse accommodatum. Itaque fieri potest, ut interrupta orationis structura ea, quae instituta erat, sententia, quae veram causam continet, indicetur enunciato primario neque apto ex particula causali. Et haec vero confirmantur exemplis, quae ipsa nat. hist. praebet: II, 64 *Sic fit ut tardius moveri videantur, cum altissimo ambitu feruntur, non quia adcelerent tardentve naturalis motus . . . sed quia deductas ab summa apside lineas coarctari ad centrum necesse est.* III, 82 *In Puteolano autem sinu* (sunt) *Pandateria, Prochyta, non ab Aeneae nutrice, sed quia profusa ab Aenaria erat,* ubi membrum negativum per breviloquentiam aliter conformatum est et plene sic dicendum erat: cui hoc nomen est, non quia ab Aeneae nutrice dicta sit, sed quia profusa ab Aenaria erat. IX, 77 *Invenit in hoc animali documenta saevitiae Vedius Pollio . . . vivariis earum inmergens damnata mancipia, non tamquam ad hoc feris terrarum non sufficientibus, sed quia in alio genere totum pariter hominem distrahi spectare non poterat.* XV, 134 (Laurus) *in gremio Iovis optumi maxumique deponitur quotiens laetitiam nova victoria attulit, idque non quia perpetuo viret nec quia pacifera est . . . sed quia spectatissima in monte Parnaso ideoque etiam grata Appollini* (est) . . . *et quia manu satarum receptarumque in domos fulmine sola non icitur.* XXXII, 42 *in morbos digeremus aquatilia, non quia ignoremus gratiorem esse universitatem animalium . . . sed hoc utilius est vitae* eqs. Obtemperantes igitur legi ipsius rei natura et usu Pliniano comprobatae *utuntur* scribemus, quoniam verba proposita non e mente eorum, qui rem narratam prodiderunt, dicta, sed a Plinio ipso addita esse, ex enunciato *quod significat* perspicuum est.

Multo difficilius est iudicare de locis iis, in quibus simul de consecutione temporum, quam grammatici vocant, agitur: quorum quamquam nonnullos iam Felsius p. 29 tractavit, tamen mihi retractandos esse puto, quia habeo cur ab eo dissentiam: is enim solam rationem diplomaticam secutus a codicum

scriptura omnem in hac re salutem videtur exspectare, immemor ille quidem, tam saepe in verborum terminationibus peccatum esse, ut codicum praesidio non nimis confidere debeamus. In huiusmodi quaestionibus dirimendis e solo usu Pliniano recte observato argumenta petenda sunt. Universum autem Plinii usum, qui versatur in temporibus et modis, enucleate exponere, tanti est ambitus, ut separatim de eo disputare operae pretium sit: quamobrem ea tantum attingam, quae alicuius momenti sint ad eos locos diiudicandos, quos prolaturus sum. Ac Iano suffragante sic scriptum a Silligio est V, 15: (Suetonius Paulinus prodidit) *decumis se eo pervenisse castris et ultra ad fluvium qui Ger vocetur per solitudines nigri pulveris.* In his admirationem habet, quod ab utroque editore non modo grammatica sed etiam diplomatica ratio plane neglecta est: nam quum codicum memoria sit haec: *vocetur* RDa[1]d, *vocatur* APa[2]Rob.β, codex A autem inter libros ad hunc locum collatos principatum teneat, apertum est, id quod Felsius p. 28 recte vidit, indicativum esse recipiendum. Quo facto enunciatio relativa non Paulini, sed Plinii est, qui eam illius orationi inseruit; hanc autem rationem, qua in aliorum scriptorum narrationibus orationi obliquae enunciationem aliquam ab ipso profectam indicativo modo usus interponeret, satis frequenter usus est Plinius,[66]) ut vel ex his exemplis elucet: VII, 17 *huius generis et feminas* (esse) *in Scythia, quae Bithiae vocantur, prodit Apollonides.* Ib. 22 *philosophos eorum, quos gymnosophistas vocant, ab exortu ad occasum perstare* eqs. Ibid. *In monte, cui nomen est Nulo, homines esse aversis plantis . . . auctor est Megasthenes.* VI, 184 *inde primum visas* (esse) *avis psittacos et ab altera, quae vocatur Articula, animal sphingion.* VII, 174 legitur in oratione obliqua: *inimici, qui Cantharidae vocabantur.* Ib. 177 *interim eum, qui videbatur exstinctus, plaudendo concivisse ministeria* eqs. XII, 73

[66]) Hoc usu Fels. p. 29 *possunt*, quod Ma[1]β exhibent, defendi posse putat XV, 60, ubi Ianus ex ΘTa[2]d recepit: *sic etiam crescere amplitudine maiore quam possint in arbore.* Sunt haec verba Varronis, quae pertinent ad praecepta de cotoneis optime servandis ab eo data, quumque enunciatio illa *quam possint in arbore* cum eius oratione tam arte cohaereat, ut ea omissa per se stare sententia nequeat, non possumus indicativo admisso Plinio eam attribuere, sed accommodari eam ad orationem obliquam oportet. Quare Iano assentior.

*sed hoc non alibi fieri quam in Nabataeis, qui sunt ex Arabia conterminи Syriae.* XVII, 206 media in oratione obliqua est: *unde et rasilem vocant.* Cfr. Fels. p. 28. Sillig. ad XXXII, 26. Haec aperte declarant, vetustissimi codicis scripturam *vocatur* Pliniano usu munitam servandam esse. *Vocetur* autem ne ferri quidem potest, nam si verba *qui Ger vocatur* a Suetonio Paulino dicta ideoque orationis obliquae structurae applicanda esse putemus, necesse est imperfecti coniunctivum poni propterea quod verbum regens *prodidit* praeteriti temporis est. Hoc efflagitat communis Latinae linguae usus a Madvigio Gramm. Lat. § 382 sqq. luculenter expositus, a quo in universum nec Plinius recedere solet. Etenim ubi structura accusativi cum infinitivo aut oratione obliqua usus aliorum sententias refert, in enunciationibus aptis, quum verbum regens praesentis temporis est, coniunctivum praesentis aut perfecti ponit: XII, 34 *Onesicritus tradit, in Hyrcaniae convallibus fico similes esse arbores, quae vocentur occhi, ex quibus defluat mel horis matutinis duabus.* XIII, 142 *Iuba tradit, circa Trogodytarum insulas fruticem in alto vocari Isidis crinem, curalio similem sine foliis, praecisum mutato colore in nigrum durescere, cum cadat, frangi, item alium, qui vocetur chariton blepharon* eqs. VIII, 40 *Tradunt in Paeonia feram, quae bonasus vocetur, equina iuba, cetera tauro similem, cornibus ita in se flexis ut non sint utilia pugnae.* VI, 191 *Aristocreon . . tradit, inde dierum XII Esar oppidum Aegyptiorum, qui Psammetichum fugerint.* VII, 61 *Masinissam regem post LXXXVI. annum generasse filium, quem Metimanum appellaverit, clarum est.* XVI, 237 *fuisse eum tradunt filium Amphiarai, qui apud Thebas obierit.* VII, 67 *idem lac feminae non corrumpi alenti partum, si ex eodem viro rursus conceperit, arbitratur.* XI, 187 *negatur* (cor) *cremari posse in iis, qui cardiaco morbo obierint.* XIII, 88 *Inter omnes vero convenit, Sibyllam ad Tarquinium Superbum tris libros attulisse, ex quibus sint duo cremati.* Neque tamen, ubi vetustiorum scriptorum sententiae referuntur, numquam post verbum regens praesentis temporis coniunctivus usurpatur imperfecti (vid. Madv. § 382 not. 2), uti VII, 85 *idem* (Cicero tradit) *fuisse qui perviderет CXXXV M passuum,* quo loco Plinii animo obversabatur fortasse *tradidit,* nam propter infinitivum perfecti *fuisse* positum esse imperfectum, de quo usu vid. Zumpt. § 515, parum credibile faciunt nonnulli locorum supra laudatorum, ubi perfecti temporis infinitivi usurpati sunt. Contra quum verbum,

e quo suspensa est obliqua oratio, in praeterito tempore positum est, sequitur in enunciatis aptis coniunctivus imperfecti aut plusquamperfecti: VI, 17 *Ad hos* (Sauromatas) *profugerat Mithridates Claudio principe narravitque Thallos iis esse confinis, qui ab oriente Caspii maris faucis attingerent.* XIII, 88 *Mutianus ter consul prodidit nuper se legisse, cum praesideret Lyciae, Sarpedonis ab Troia scriptam . . epistulam chartam* eqs. XII, 34 *Item laureo folio et ibi spina tradita est, cuius liquor adspersus oculis caecitatem inferret omnibus animalibus;* sic recte Ianus et Silligius ex Θ (contra *infer* M, *inferet* R[1], *infert* R[2]ad), nam paulo infra in eodem enunciato legitur *moriendum esset.* XXV, 14 *Dixit Democritus, credidit Theophrastus esse herbam, cuius contactu inlatae ab alite, quam retulimus, exsiliret cuneus a pastoribus arbori adactus.* XIII, 84 *Cassius Hemina . . prodidit, Cn. Terentium scribam agrum suum in Ianiculo repastinantem effodisse arcam, in qua Numa . . situs fuisset.* XXX, 18 *cum Apion prodiderit cynocephaliam herbam, quae in Aegypto vocaretur osiritis* et per idem tempus cetera continuantur. Quod VI, 203 in perpetua oratione obliqua, quae pendet ex verbis *Iuba de Fortunatis ita inquisivit,* praesentis et perfecti coniunctivi leguntur, hoc inde repetendum videtur, quod *inquisivit* non perfectum historicum, quod vocatur, est et ea quae narrantur non ad id tempus, quo Iuba ea inquisivit, sed ad praesens tempus adstricta et in universum dicta sunt. Sed ad hanc normam, quam modo exemplis satis illustravi, non diriguntur enunciationes consecutivae, in quibus praesentis temporis aliqua cogitatio insit (cfr. Reisig. § 314, 3 not. 480), ut VII, 53 *Antiocho regi Syriae* (homo) *e plebe nomine Artemo in tantum similis fuit, ut Laodice coniux regia necato iam Antiocho mimum per eum commendationis regnique successionis peregerit.* Verum duo mihi supersunt loci discrepantes, quippe in quibus enunciata temporalia coniunctivum perfecti habeant, quum potius plusquamperfectum exspectemus: VI, 31 *Claudius Caesar a Cimmerio Bosporo ad Caspium mare CL M* (pass. interesse) *prodidit eaque perfodere cogitasse Nicatorem Seleucum quo tempore a Ptolemaeo Cerauno sit interfectus.* III, 125 (interiit) *Melpum opulentia praecipuum, quod ab Insubribus et Boiis et Sennonibus deletum esse eo die quo Camillus Veios ceperit Nepos Cornelius tradidit,* ubi *tradit* T, *cepit* omnes codd. Rezz. exhibent. Quibus de locis quid statuam, nondum mihi liquet; fortasse corrigendi sunt. Sed haec utcun-

que se habent, hoc certe pro explorato haberi licet, Plinium referentem ea, quae alii senserunt aut narraverunt, in enunciationibus aptis post verbum finitum praesentis temporis coniunctivum praesentis aut perfecti, post verbum finitum praeteriti temporis coniunctivum imperfecti aut plusquamperfecti usurpasse.

Quae quum ita sint, non probatur mihi Felsii sententia, qui p. 29 cum M XI, 46 scribere vult: *Apium coitus visus est numquam. Plures existimavere oportere confingi floribus compositis apte atque utiliter; aliqui coitu unius, qui rex in quoque appelletur examine,* sed praesentis coniunctivum depravatum esse censeo. Nam ut in verbis proxime praecedentibus: *fetus quonam modo progenerarent, magna quaestio fuit,* quae perfecto illo *fuit* tempori praeterito adstricta sunt, suus locus est coniunctivo imperfecti, ita etiam in his, de quibus agitur, propter perfectum *existimavere,* quod eiusdem generis ac *fuit* esse debet, imperfecti coniunctivum *appellaretur* desideraremus, si enunciatio relativa ad orationis obliquae formam revocanda esset neque ab ea separari Plinioque attribui posset. Quod non refellitur locis a Felsio allatis, qui, quum diversi generis sint, nihil probant; etenim accusativi cum infinitivis XXXII, 15 ex locutione *Trebius Niger auctor est* et ib. 134 ex verbo *invenio* pendent; ad V, 9 autem idem pertinet, quod supra de VI, 203 dixi: immemor scilicet perfecti *prodidit* Plinius orationem obliquam continuavit, tanquam verbum praesentis temporis antecessisset et ea, quae Polybius prodidit, ad praesens tempus revocavit, praesertim quum ea non solum de eo tempore, quo ille prodidit, sed de omnibus temporibus valerent. Quam ob causam cum Silligio et Iano facio, qui *appellatur* receperunt. Ac ne quis dicat, rationi meae obstare quod statim infra legatur: *hunc esse solum marem, praecipua magnitudine ne fatiscat,* non rara sunt exempla, a scriptoribus in uno eodemque enunciato tempora variata et orationem aliter continuatam atque institutam esse: cfr. Nipperd. Quaest. Caes. p. 83 sqq. Et sic apud Plinium XVI, 221 est: *Alexandri Magni comites prodiderunt, in Tylo rubri maris insula arbores esse, ex quibus naves fierent, quas CC annis durantis inventas et si mergerentur incorruptas; in eadem esse fruticem baculis tantum idoneae crassitudinis, varium tigris maculis, ponderosum et cum in spissiora decidat vitri modo fragilem,* ubi unus r *decidit* praebet. Neque aliter VII, 174 *De anima reperimus inter*

*exempla Hermotimi Clazomenii animam relicto corpore errare solitam vagamque e longinquo multa adnuntiare, quae nisi a praesenti nosci non possent, corpore interim semianimi, donec cremato eo inimici remeanti animae velut vaginam ademerint.* Sed VII, 23, ubi legitur: *idem* (Ctesias scribit) *hominum genus, qui Monocoli vocarentur, singulis cruribus, mirae pernicitatis ad saltum, eosdemque sciapodas vocari, quod in maiore aestu humi iacentes resupini umbra se pedum protegant,* cum Silligio, „tota periodo per tempus praesens dicta," *vocarentur* corruptum ex *vocentur* habere malim; quamquam non repugnabo, si quis indicativum *vocantur* ponat.

Verum iam missas facio has quaestiones perdifficiles et laboriosas, quas obiter indicavi, ut criticorum studia in eas converterem: redeo ad V, 15, ubi extrema potissimum verba multum editoribus negotii facessiverunt Codicum autem scripturam qui retinuit, Ianus cum ARDad sic edidit: (Suetonius Paulinus prodidit) *decumis se eo pervenisse castris et ultra ad fluvium, qui Ger vocetur, per solitudines nigri pulveris . . loca inhabitabilia fervore quamquam hiberno tempore experto.* Iam hoc dubium esse non potest, quin Plinius hanc in mente habuerit sententiam: Suetonium Paulinum, quamquam hiberno tempore illa loca viseret, tamen cognovisse, ea fervore inhabitabilia esse. Verba igitur *quamquam hiberno tempore experto* necessario ad Suetonium Paulinum, qui hieme illas regiones expertus est, referuntur. Quae si recte indicata sunt, verba a Iano constituta non possunt recte se habere. Referens enim *experto* ad *fervore,* nisi me omnia fallunt, structuram intellegi vult hoc modo: „loca inhabitabilia fervore, quamquam is fervor hiberno tempore expertus esset." In his non equidem vitupero, quod participio *expertus* passivam ille notionem attribuit, qui usus ut apud alios scriptores sic etiam apud Plinium reperitur: cfr. XXIX, 11 (populus Romanus) *medicinae etiam avidus, donec expertam damnavit.* Sed potius totius sententiae habitus mihi vehementer displicet, neque enim qui ad recte cogitandi rationem dirigere sermonem assuevit, enunciare potest talia: „quamquam hiberno tempore fervor expertus est, tamen loca fervore inhabitabilia sunt." Quamquam? Immo vero idcirco quia etiam hieme loca ista fervent, inhabitabilia sunt. Quam ob rem codicum scripturam cum Iano non tuebimur aut si *experto* cum *fervore* coniungere certum nobis ratumque est, aliter id fieri non poterit nisi ut violenta mutatione *etiam* pro *quamquam* po-

natur. Coniciendi igitur ad necessitatem devoluti videmus iam Harduinum, Silligium, Urlichsium sanando operam dedisse. Ac Silligium quidem, qui ex NP *expertos* recipit, quod ad *se* pertinere voluit, Urlichsius Vindic. Plin. p. 68 recte ita refellit, ut *se* singularem, non pluralem numerum esse moneret, quandoquidem de solo Suetonio Paulino, non de eius comitibus cogitandum est. Hic vero ipse aliam emendationem periclitatus est, quae, ut verum fatear, primo aspectu mihi maxime placebat; exponit enim loco modo laudato, se e scriptura ante Harduinum vulgata *experto* facili mutatione elicuisse *experta*, quo ad *loca* relato structurae mutationem non inelegantem et Plinio frequentem effici. Frequentia quidem exemplis comprobanda erat; de elegantia non pugnabimus: sed, quod gravissimum est, sententiam ipsam aurificis statera, ut aiunt, examinemus. Atque accipit Urlichsius cum Iano *loca inhabitabilia* pro appositione ad *solitudines* referenda; quam si statuimus, continetur ea iudicium de illorum locorum natura universum, quod non de illo tempore, quo Paulinus ea loca expertus est, sed de omnibus omnino temporibus dictum est. Indicatur enim hac appositione id quod ille ex iis, quae hieme ibi expertus erat, conclusit, nempe hoc: nullo anni tempore loca ea prae fervore habitari posse. Iam vero totam, de qua disceptamus, enunciationem complectamur et quo facilius, quid falsum sit, in oculos incurrat, obliquam mutemus in orationem directam; quo facto secundum Urlichsium Paulinus pronunciat haec: „quamquam ea loca hiberno tempore a me experta sunt, tamen — fervore inhabitabilia sunt.“ At haec, quaeso, num recte pronunciat? Num protasis concessiva legitimam cum apodosi habet rationem? Minime vero. Sed tali potius modo conformari debet apodosis: „tamen erant“ vel etiam: „tamen cognovi esse ea loca fervore inhabitabilia.“ Nam, id quod tritum est ac notissimum, in qualibet enunciatione concessiva ea ratio est protasi cum apodosi, ut quae illa continet, obstare et repugnare videantur iis, quae hac praedicantur. Hibernum autem tempus, quo Paulinus ista loca visebat, non poterat obstare, quominus omnino aliquo anni tempore ea fervore inhabitabilia essent: at vero obstare poterat, quominus tunc maxime temporis, quum visa sunt, inhabitabilia essent aut talia esse cognoscerentur. Etenim si hieme fervor mitigatus esset — id quod facile et fieri et exspectari poterat — Paulinus intolerabilem

illum fervorem non expertus esset nec cognovisset, illa loca per totum annum propter fervorem habitari non posse. Quid ergo sequitur ex tota hac disputatione? Primum, Urlichsii rationem probari non posse; deinde, *expertum* scribendum esse. Habet hoc quidem iam Harduinus, sed idem sensum plane conturbavit, quum scriberet *fervere:* nam Paulino accommodatum non erat narrare, loca quae inhabitabilia essent fervere (quasi vero alia quaedam causa ea inhabitabilia reddidisset!), sed in propatulo est, eum in ipso fervore positam esse hanc causam indicare voluisse. *Expertum* autem participium ad *se* refero et ad *quamquam*, quae particula per ellipsin sine verbo posita est[67]), idem verbum *experiri* suppleo ita: Suetonius Paulinus prodidit decumis se eo pervenisse castris et ultra ad fluvium, qui Ger vocatur, per solitudines nigri pulveris . . loca inhabitabilia fervore, quamquam hiberno tempore (ea expertus esset), expertum. Vernacula vero lingua sic fere vertam: „und er hätte die Gegend, obgleich er sie zur Winterszeit besucht, dennoch vor Gluthhitze unbewohnbar gefunden.“

VIII, 32, ubi de elephantis exponitur, sic legimus: *maxumos* (fert) *India bellantisque cum iis perpetua discordia dracones tantae magnitudinis et ipsos, ut circumplexu facili ambiant nexuque nodi praestringant.* Sed plus quam dubium est, num *facili* recte se habeat, quum solo nitatur testimonio Roberti Crik., quod quam infirmum sit iam supra significavimus: neque etiam Silligius et Ianus, quoniam coniectando locum tentaverunt, integritatem eius pro certo affirmare ausi sunt. Codices enim RTΘS habent *faciunt* et d *facili* cum rasura, in qua quatuor lineolae parallelae conspiciuntur. Unde Silligius suspicatus est reponi debere *facili III* i. e. *ter*, quam coniecturam iam Ianus recte explosit, nam pro adverbio illo numerali exspectamus sane „triplici;“ sed quod ille commendavit *facile uno*, id mihi etiam

[67]) De hac ellipsi ap. Plin. usitatissima nemo dubitabit; ne quis tamen exempla desideret, appono XXXV, 120 (Fabullus) *paucis diei horis pingebat, id quoque cum gravitate, quod semper togatus, quamquam in machinis.* Cfr. XII, 28. XV, 39. 92. XVII, 25. XVIII, 212. Prorsus adverbialiter *quamquam* positum est VIII, 112. 120. X, 130. III, 119. XIII, 61. XV, 52. XVI, 7. XXI, 116. XXV, 87. XXVI, 11. XXXIV, 93. — X, 200 *Pecus potu pinguescit, ideo sal illis aptissimus*; *item veterina, quamquam et fruge et herba,* ubi tamen particula correctivam, quam vocant, vim habet.

minus arridet, immo vero prorsus intolerabile videtur. Hoc scilicet agit Plinius, ut, quanta sit draconum cum elephantis dimicantium magnitudo, luculenter ante oculos ponat, ideoque eos corporis sui longitudine facile elephantum circumplecti narrat. Iam per se patet et quivis non admonitus intellegit, minus quam u n o circumplexu elephantum cingi non posse: quare omnino necesse non est *uno* numerali apposito circumplexuum numerum insignite efferri; quin etiam huius loci consilio illud plane contrarium est, quum descriptionis vim vehementer infringat et ridiculo modo fallat exspectationem nostram: nam si numero putamus Plinium designare voluisse, quot circumplexibus draco elephanti „vastitatem" ambiret, exspectamus mehercule eum non minimum ponere, sed maiorem numerum. *Uno* aptum locum et suam rationem haberet, si — ut exemplo utar — talis esset sententia: draconibus tanta est nervorum ac musculorum vis, ut circumplexu facile uno elephantum praestringant et necent; sed ut nunc locus est, Iani coniecturam probari non posse dico, quum praesertim etiam verba *nexuque nodi praestringant* videantur iubere, non unum, sed plures circumplexus intellegendos esse. Iam si quaeris, quodnam ego remedium proponam: in codicum scripturis supra appositis censeo latere *facillime*, cui non video quid recte obici possit.

Compluribus me locis vexavit *nam* particula causalis, quae quali sententiarum connexu postuletur et confirmetur, quamquam diu multumque cogitavi, perspicere tamen non potui. Quos locos ne proponere verear, impellit me aliorum virorum auctoritas, qui et ipsi in tali usu perverso offenderunt, sicut Iosephus Kleinius in Mus. Rhen. a. 1864 p. 320 rectissime, ut mihi videtur, XXVIII, 73 *item* pro *nam* commendavit. Atque ut ab eo loco exordiar, cui facillimum est non sine probabilitate medelam adhibere, XI, 228 Ianus sic edidit: *Membranis volant fragilibus insecta, umentibus hirundines in mari, siccis inter tecta vespertilio, n a m horum alae quoque articulos habent.* Hic quid sibi vult *nam?* Frustra equidem inquisivi, qualis sit illa res vel sententia, ad quam confirmandam causalis haec enunciatio addita sit. Potueris ellipsin statuere velle et de occupationis figura rhetorica cogitare, de qua Seyffertus Schol. Lat. I, p. 30 sqq. exposuit: namque hac Plinius quoque saepius usus est, velut XIV, 19 *Nec non vineae oppugnationum dedere rationem; nam in medicaminibus adeo magnum optinent locum, ut per sese vino ipso re-*

*media sint*, idemque VII, 92 Caesaris dictatoris virtutes et in primis admirabilem animi „vigorem celeritatemque quodam igne volucrem" celebrans pergit sic: *idem signis conlatis quinquagiens dimicavit, solus M. Marcellum transgressus, qui undequadragiens dimicavit; nam praeter civilis victorias undeciens centena et XCII M hominum occisa proeliis ab eo non equidem in gloria posuerim, tantam etiam coactam humani generis iniuriam*, ubi manifestum est sententiarum connexum et ordinem esse hunc: „At tot milia hominum a Caesare proeliis occisa non commemoro, nam hoc non equidem in gloria posuerim." Alia eius generis exempla sunt VIII, 123. XII, 133. XIV, 75. 80. XIII, 78. Sed ne hac quidem ratione apte uti licet ad hunc locum, de quo sermo est, explicandum; certe ego nullam invenio sententiam, quae simili modo suppleri possit. Itaque removendam esse *nam* particulam mihi persuasi, quod tanto facilius fieri potest, quanto minus codicum auctoritatem violare nobis verendum est. Invecta enim est haec particula in textum sola Iani coniectura, qui ex literis extremis vocum *vespertilionum* (R) et *vespertiliorum* (Td) *nam* iure eruisse sibi visus est. Sed nonne multo simplicius idemque veri est similius, istas terminationes *orum* et *onum* ex dittographia insequentis vocis *horum* natas esse? — Alius locus legitur in eo capite, quod de palmis est eiusque generibus: XIII, 46 *Suum genus e sicciore turba dactylis est, praelonga gracilitate curvatis interim; nam quos ex his honori deorum damus, chydaeos* (i. e. vulgares, viles) *appellavit Iudaea gens contumelia numinum insignis.* Iam si *nam* referimus ad ea, quae proxime antecedunt, quaero, quomodo possit contemptio, qua Iudaei dactylos a Romanis deorum honori dicatos afficiunt, in causa esse, quod dactylis suum genus est. Sin vero sententiam aliquam omissam et cogitatione supplendam esse censes: velim mihi dicas, quaenam sit haec sententia. Mihi quidem plane incomperta est. Neque vero deest mihi socius, ut videtur, nam qui Naturalem Historiam in nostram linguam convertit, Kuelbius particula adversativa „jedoch" in enunciatis quodam vinculo connectendis usus est. Quum autem omni particula hoc loco carere possimus, mihi aptissimum videtur extrudere *nam*, utpote quod ex ultimis literis vocabuli *interim* perverse iteratis natum sit. — Denique affero VIII, 159, ubi de equis haec dicuntur: *Ingenia eorum inenarrabilia. iaculantes obsequia experiuntur difficilis conatus corpore ipso nisuque invitantium. iam tela humi*

*collecta equiti porrigunt. nam in circo ad currus iuncti non dubie intellectum adhortationis et gloriae fatentur.* Hoc loco Urlichsius *etiam* pro *iam* posuit: ego *iam* delere maluerim, quod fingi facile poterat ex vicinis literis *ium*; certe non desiderabitur in Pliniana dictione, in qua non rarà sunt minuta cola nullo particularum vinculo inter se connexa. Sed de *nam* particula nemo, ut videtur, dubitavit, quamquam simplici eam ratione explicare difficile erit; nam omissio sententiae talis, qualis e. g. est, „nec mirum" (cfr. II, 142), iusto audacior esset. Aptissime hoc loco *iam* particulam poni puto; manifesta enim est gradatio in sententiarum ordine haec, ut Plinius ab equorum sollertia, qua equitibus iaculantibus obsequia praestant eosque adiuvant, procedit ad gloriae intellectum, quem in circo produnt: quo in intellectu et amore eius boni, quod nullam cum corpore habeat rationem, sed in sola hominum cogitatione positum sit, etiam maius et elatius cernitur ingenium.

Libri XIV, qui maximam partem versatur in vitibus, uvis, vinis describendis, sectione 11 „de passo et hepsemate et dulcium generibus" agitur, inter quae postquam Plinius etiam Graecorum aigleucos rettulit, quamquam id „medium inter dulcia vinumque" esse dixit, transit ad aliud genus, de quo haec leguntur apud editores: § 83 *Est etiamnum aliud genus eius per se, quod vocat dulce Narbonensis provincia et in ea maxime Vocontii.* Quae verba aut depravata sunt aut oculorum acie nescio quo casu occaecata in luce clara erro. Dicam tamen, quibus offendar. Primum quidem, quod obiter monuisse velim, *eius*, quod M non habet, removendum erit idque non solum, ut Felsio p. 26 videtur, quia per se non necessarium aeque facile et addi et omitti poterat, sed quia hoc loco ne ferri quidem potest. Nam grammaticam rationem si sequimur, hoc pronomine nihil aliud potest significatum esse quam illud aigleucos, de quo paulo antea expositum est: hoc igitur pluribus constaret generibus, e quibus unum esset id dulce vinum, de quo hic agitur. At si totum locum legeris, fugere te non poterit, aigleucos et hoc dulce genus ut diversa genera inter se opponi, quorum illud „cura evenit," hoc per se dulce est; haec duo genera communi dulcium vinorum notione comprehenduntur et, ut noviciis vocabulis utar, alterum alteri non subordinatum, sed coordinatum est. Itaque *eius* servari non poterit. Multo gravior vero restat offensio, posita illa quidem in totius enunciati stru-

ctura. Scilicet apertum est, hunc sententiarum ordinem et progressum Plinium statuere, ut ei generi, quod Graeci aigleucos vocant quodque cura evenit, aliud genus opponatur, quod non cura dulce fit, sed natura sive per se dulce est. Sed hanc sententiam, quam etiam Kuelbius recte intellexit, quo artificio ex vulgata huius loci forma eliciamus? Quod Kuelbius interpretatus est: „eine andere schon von selbst so beschaffene Art, welche in der narbon. Provinz und in derselben hauptsächlich bei den Vocontiern Süsswein heisst,“ id apparet magis in voluntate interpretis, quam in Plinii verbis traditis positum esse. Nam mirabilis profecto et exemplorum auctoritate destituta breviloquentia esset, qua *aliud genus per se* diceretur pro *aliud genus per se ita comparatum!* Neque vero transponendo aut interpungendo quidquam proficimus. Etenim si scriberemus *genus per se dulce, quod vocat* cet., plane deesset nomen vino inditum. Sin vero interpunctionem mutaremus hunc in modum: *aliud genus, per se quod vocat dulce* cet., relativa enunciatio commodo careret intellectu; nam *per se dulce* hoc genus a Narbonensibus vocatum esse quis credat? Omnino desideramus accommodatam huius dulcis vini appellationem; ceteris enim locis, in quibus Plinius verbis *quod vocant* sive *appellant* vinorum nomina commemorat, semper proprio aliquo Latino aut peregrino vocabulo appellantur, ut siraeum, hepsema, sapa (§ 80), psithia, apiana, scripula (§ 81), aigleucos (§ 83), diachyton (§ 84), protropum (§ 85), deuteria, lora (§ 86); sic etiam hoc loco Celticum aliquod vocabulum positum esse exspectares. Sed quum aptum nomen desit, v o c a n d i verbum vix recte se habere facile suspicaberis, praesertim si consideraveris, quam id non conveniat cum adverbio *maxime.* Neque enim in eorum verborum numero est, quorum actio diversis efficacitatis gradibus augeri aut minui possit; nimirum si Narbonenses dulce vinum nomine aliquo vocant, non possunt Vocontii eodem nomine m a g i s vel m a x i m e vocare. Quocunque igitur me converto, non reperio, quo vulgatum textum genuinum et incorruptum esse mihi persuadeatur. Quare quum ad coniecturam confugiendum sit, ego locum sic mutare suadeo: *Est etiamnum aliud genus per se dulce, quod potat Narbonensis provincia et in ea maxime Vocontii.* In his duplex et transpositionis et mutationis remedium fortasse reprehendetur, sed aliis locis etiam fortiora remedia iam adhibita esse ab aliis non ignoro, et hoc certe mihi concedetur, in ver-

bis sic mutatis sententiam inesse accommodatam. Ac quod de provincia dicitur id quod incolae eius faciunt, nemini offensioni esse potest, quum eadem dicendi figura etiam in tralaticio textu conspiciatur et aliis locis multis a Plinio usurpata sit: VIII, 130 (ursi) *cerebro veneficium inesse Hispaniae credunt.* XXXIII, 54 *Claudius . . inter coronas aureas VII pondo habere, quam contulisset Hispania citerior, IX, quam Gallia comata, titulis indicavit.* XVIII, 74 *Italia* (hordeum) *sine perfusione tostum in subtilem farinam molit.* Cfr. II, 178. XII, 12. XXI, 48. XXV, 52, 160. XVIII, 15. 101. XXXIV, 43. Denique *potat* facile corrumpi poterat in *vocat,* quia verba *quod vocat* vel *vocant* in hac sectione frequenter leguntur.

XIV, 131 *Faex vini siccata recipit ignis ac sine alimento per se flagrat. Cinis eius nitri naturam habet easdemque viris, hoc amplius quod pinguior sentitur.* In verbis extremis auctoritate codd. ΘTadr commoti Silligius et Ianus deseruerunt scripturam olim vulgatam. Sed iniuria. Nemo enim magnopere claudicare infitiabitur sententiam hanc: cinerem vini faecis hoc amplius sive eo magis naturam nitri habere quia pinguior nitro sentiatur; alium enim sensum ex verbis illis non extorqueo et facile apparet falsam esse interpretationem, quae in indice Silligianae editioni adnexo inveniatur: „nitri naturam habet vini faecis cinis, sed pinguior est.“ Itane! nitrum quoque pingue esset? At hoc Plinius nullo locorum omnium, in quibus nitri naturam descripsit, commemoravit. Porro sententia illa quid significat? Nullo modo potest satis clara esse putari: qua si Plinius dicere voluisset, vini faecis cinerem propter maiorem pinguedinem etiam superare nitri effectum, perversa admodum et obscura sententiae conformatione usus esset. Mihi vero videtur Plinius sic potius disputare: ut cremati roboris cinerem (cfr. XVI, 31), ita etiam vini faecis cinerem nitrosum esse, sed quo pinguior sentiatur, eo proprius eum accedere ad nitri naturam. Hanc autem sententiam prorsus dilucidam nec ullo nomine vituperandam restituimus recepto *quo,* quod etiam βγ habent; neque vero repugnat loquendi consuetudo Plinii, qui saepius *hoc* et *quo* tali significatione coniunxit: XIV, 30 *quo dulcior est cocolobis, hoc melior;* ib. 36 *quo plus tulit, hoc laudabilius fundit.* Ac si exempla requiras particularum *quo* et *quod* inter se commutatarum, Felsius nonnulla composuit p. 48 ad XIII, 134, ubi verissime coniecit *quo* pro *quod* scribendum esse, de qua con-

iectura, quae mihi quoque statim se obtulit, supersedere possem verba facere, nisi Ianum in Act. Monac. a. 1862 p. 250 dubitantem de ea viderem.

Atque is locus, quo de cytiso frutice agitur, in M ceterisque codd. sic traditus est: *Praeterea, quod maxime miror, rarum esse in Italia, non aestuum, non frigorum, non grandinum aut nivis iniuriam expavescit*, ubi legitimam structuram orationis deesse non est cur admonearis. Itaque Ianus — nam omitto Silligium, qui interpunctione sua satis clare ostendit, se loci huius sententiam non percepisse — *propter* ante *quod* pronomen inseruit convenientissimum illud quidem ad sententiarum rationem et nexum, quem hunc esse in propatulo est: quum cytisus nullam asperioris coeli iniuriam expavescat, maxime miror eum rarum esse in Italia; nam quod huic terrae aer minus mitis est quam Cycladibus insulis ceterisque Graeciae regionibus commemoratis, id in causa esse non potest, cur rarum gignat cytisum. Sed verbum orationi inserere satis violentum est remedium, ad quod nisi necessitate coacti non confugiemus; quare multo commendabilius, unius literae diversitate pro *quod* reponere *quo* h. e. *unde* sive *quamobrem*, quem usum Felsius stabilivit uno loco II, 221 *quo vera coniectatio exsistit.* Iam hunc locum ne Ianus quidem aliter videtur intellegere; sed tamen illam *quo* pronominis significationem negat nostro loco adhibendam esse propterea quod Plinius non *magis* pro *maxime* dixerit. Quo argumento minime refutatur, quod Felsius proposuit. Nam est sane non infrequens Plinio locutio *quo magis miror*, ut XV, 44. XII, 18, sed quia saepe sic dixit, num recte contendas, eum semper sic dixisse nec potuisse alia locutione uti? Praeterea si *magis* positum esset, illud *quo* non idem quod *unde* valeret, sed relativum pronomen enunciatorum apte connectendorum causa dictum esset pro demonstrativo *eo magis.* Sed ne dubitari possit de hac causali, quam cum Felsio statuimus, significatione *quo* pronominis, affero locum hunc, qui est de citro arbore, e cuius ligno pretiosissimae conficiebantur mensae: XIII, 102 (Theophrastus, qui magnum iam huic arbori honorem tribuit) *de mensis tamen tacuit, et alias nullius ante Ciceronianam vetustior memoria est, quo noviciae adparent.* Similiter XV, 99 *Duobus hoc* (pomum) *nominibus appellant Graeci, comaron et memecylon, quo adparet totidem esse genera,* nec alienus est locus, de quo p. 55 diximus: XIII, 100 *quo manifestum est* cet. Cfr. XXXV, 153. Qua re

quum evidens sit, *quo* eadem atque *unde* notione dici posse, non video cur reiciatur locus hoc modo restitutus: *Praeterea — quo maxime miror, rarum esse in Italia — non aestuum* e. q. s.

XIV, 143 *Tiberio Claudio principe ante hos XL annos institutum* (est), *ut ieiuni biberent potusque vini antecederet cibos.* Sic editionibus adhuc vulgatum, nec profecto in verbis ipsis quidquam inest, quod depravationis suspicionem moveat; sed tamen discrepantia codicis M adducor, ut verba typis insignita coniecturae quamvis speciosae deberi iudicem. Traditum enim est in M *potius vinum,* quod quia utraque voce multum differt, verum habere quam pro calami lapsu accipere malo. Quum autem eae voces in totius enunciati structuram non bene quadrent neque praecedentibus apta ratione adnectantur, necesse est *et* inseri, quod quidem pone *biberent* facile poterat omitti. Ante Tiberii igitur imperium moris erat, ut cibi antecederent vinum, postea contrarius ordo observabatur, ut potius vinum antecederet cibos. Sic puto succurri posse mutilae codicis M orationi: qua mihi multo magis placere vulgatam scripturam diffiteri nolo, sed cedendum est praestantissimi libri auctoritati.

Idem valet de levi et commemoratu vix digna mutatione, quam non arbitratu meo, sed codicis M testimonio commotus proponam ad XV, 32, ubi vulgata verborum species est haec: *Veteri quoque oleo usus est ad quaedam genera morborum. Existimatur et ebori vindicando a carie utile esse.* Quum M post *existimatur* praebeat *qui,* quod sensu caret neque tamen solo casu invectum esse dixerim, statuo id sic posse servari, ut *que* corrigentes puncto post *morborum* deleto alteram enunciationem cum priore colligemus.

Etiam verbis quae XIV, 133 leguntur num pristina sua et vera forma reddita sit, ambigi potest. Transgressus enim ad varias vina in cella adservandi rationes Plinius dicit, circa Alpes vina ligneis vasis condi atque etiam hieme gelida ignibus a rigore defendi; deinde sic pergit: *Mitiores plagae doliis condunt infodiuntque terrae tota aut ad portionem situs; item caelum praebent, alibi vero inpositis tectis arcent.* Ab hoc vulgato textu discrepat cod. M, qui habet: *item caelum prohibent a libero inpo-*

*sitis tectis arcent.* Quorum utrum eligamus? An neutrum probantes Iano adstipulabimur edenti: *item caelum praebent alibi, alibi vero inpositis tectis arcent?* Ac primum videamus de verbo *praebent.* Quod nescio an non bene dictum sit; neque enim vino caelum praebent, sed caelo vinum, et melius fortasse fuerit „admittunt,“ nam quum caelum sive aer omnia quae in terra sunt circumdet et feriat vel etiam impleat et ad omnia sponte aditum quaerat, homines nihil aliud profecto facere possunt quam aut arcere aut admittere. Sed hoc levius, facile enim fieri potest, ut Plinius locutionem magis exquisitam praetulerit neque ausim eam prorsus damnare: gravius vero mihi videtur, quod, ut ex tota hac sectione elucet, antiqui in vino condendo scrupulosa caeli temperiei ratione habita caelum plerumque prohibebant, ne vim in vinum exsereret; nam quod § 136 dicitur: „Campaniae nobilissima (vina) exposita sub diu in cadis verberari sole, luna, imbre, ventis aptissimum videtur,“ id singulare est nec de omnibus generibus valet. Itaque non habeo, cur reiecto *prohibent* ab auctoritate codicis M recedam, praesertim quum palaeographica quoque ratio faveat, qua credibilius est *praebent* ex compendiaria scriptura *phibent* quam *prohibent* ex *p̄bent* natum esse. Iam circumspicientibus, quo modo probabilem ex scriptura cod. M sententiam eliciamus, subvenit nobis id quod Moneus animadvertit, *a Libero* metonymice dictum esse pro „vino.“ Quam rationem si adoptemus, dicere possimus, *arcent* glossam esse margini olim adscriptam propter verbum *prohibent* et voluisse glossatorem elocutionis varietatem denotare, quum paulo supra § 132 idem verbum *arcent* in eadem causa usurpatum sit. Sed quum non intellegatur, cur Plinius, qui toto hoc libro vinum semper proprie et suo nomine appellativo designavit, hanc figuram metonymiae poetis familiarem adhibuerit hoc loco, qui ut est de re ab arte poetica longe remota, ita ne dictionis quidem poeticum quendam colorem prae se fert, tum vero etiam illud obstat, quod codex M nulla fere eiusmodi interpolatione turpatus est; quas ob causas ad hanc rationem confugere non possumus. Sed alia quoque via nobis patet; quum enim *a libero* corruptum esse ex *alibi vero* statuentes *item,* quod in M *itē* scriptum est, mutaverimus in *ita,* haec prodit scriptura: *ita caelum prohibent, alibi vero impositis tectis arcent.* Significat autem *ita* i. q. „hoc modo“ h. e. infodiendo, id quod apparet ex iis quae antecedunt; quod si pro-

bamus, duobus modis caelum a vino prohiberi dicitur: scilicet aut doliis infodiendis aut tectis imponendis.[68])

Transeo ad locum graviter afflictum XV, 9, cuius conformationem vulgatam falsam esse codex rescriptus patefecit, infelici autem casu factum est, ut M quoque depravatione foedatus sit, nequedum genuina scriptura ita restituta est, ut rei narratae et codicum memoriae pariter consultum esse dicas. Sed ut via et ratione recte procedat disputatio et uno in conspectu videamus omnia, quae ad iudicandum necessaria sunt, totum locum ex Silligiana editione apponam: *Olivae constant nucleo, oleo, carne, amurca: sanies haec est eius amara; fit ex aquis, ideo siccitatibus minuma, riguis copiosa. Suus quidem olivae sucus oleum est, idque praecipue ex inmaturis intellegimus, sicut de omphacio docuimus. Augetur oleum ad arcturi exortum a. d. XVI kalendas Octobris, postea nuclei increscunt et caro; cum sitienti imbres copiosi accessere, vitiatur oleum in amurcam.* Atque inquirendum quidem est in verba extrema, quorum vulnera obtecta magis sunt fallacibus remediis quam probabili ratione sanata. Etenim quam infirmo fundamento nitantur, ostendit M, qui habet: *cum si etiam copiosiores accessere,* et praeterea pro *sitienti,* quod nullo testimonio alio nisi unius codicis d stabilitur, a exhibet *siti et.* Quum autem in nullo codicum scripturam integram exstare statim appareat, diversas lectiones Ianus ita inter se coniungere et conciliare studuit, ut in M *imbres* intercidisse et *si etiam* depravatum esse arbitratus scriberet haec: *cum sitienti imbres copiosiores accessere;* ubi *sitienti* illud valde mihi displicet, quod quum commodo explicatu cassum sit et destitutum, temere fictum videtur esse a librario codicis d. Describit enim Plinius, quibus rebus fiat, ut oleum transeat in amurcam; quum autem supra dicat amurcam fieri ex aquis ideoque siccitatibus minimam, riguis copiosam esse, profecto consentaneum est, sitienti olivae, quippe cui minima amurca sit, imbres accedentes minus nocere quam olivae non sitienti, quippe quae ut multo maiorem amurcae copiam habeat ita multo minus imbrium sine damno susti-

[68]) Libentissime facio, ut cum legentibus communicem coniecturam, quam Martinus Hertz prof. ill. perlectis iis, quae in schedis meis scripsi, benigne margini adscripsit. Qui ceteris quidem rebus mihi adstipulatus, sed *a Libero* servandum esse ratus sic scribere mavult: *ita enim caelum prohibent a Libero, alibi vero impositis tectis arcent.*

nere possit. Tantum igitur abest, ut *sitienti* ad hunc locum accommodatum sit, ut „non sitienti“ positum velimus. Quam ob causam abiecta hac lectione ego aliam emendandi viam ingressus *copiosiores*, quod M habet, ortum esse dico ex *copiosībres* h. e. *copiosi imbres*, qua ratione simul et comparativus ille, quo facile carere possumus, et lacuna codici M imputanda removetur; deinde vero pro *cum* scripto *tum*[69]) locum sic expedio: *tum si etiam copiosi imbres accessere, vitiatur oleum in amurcam.* Quae mecum, opinor, non improbabis, si, quae insequenti § 10 Plinius pronunciat, consideraveris. Dicit enim errorem hominum falsum esse oleum crescere olivae carne arbitrantium, quum sucus omnis in corpus abeat lignumque intus grandescat; ergo tum maxime olivas rigari, sed hoc ubi cura multa sive imbribus accidat, oleum absumi nisi consecuta serenitate, quae corpus extenuet. Absumitur autem oleum eo quod in amurcam vitiatur, quumque amurca fiat ex aquis et riguis copiosa sit, cavendum est, ne carne crescente imbres accidant, et melius est olivam prius decerpere neque parsimoniae causa exspectare ut decidat (§ 11). Ex his apparet, tum quum caro crescit imbres copiosos olivae vehementer nocere et efficere, ut oleum absumatur et in amurcam transeat: quare recte sibique convenienter Plinius loquitur, si legimus id quod ego commendavi: „postea nuclei increscunt et caro; tum si etiam copiosi imbres accessere, vitiatur oleum in amurcam.“[70])

Initium libri XV, ubi Plinius de Italorum cultura oleae agit, quum primo legerem, statim mihi certum erat, mendum latere in textu a codicibus tradito; quum autem doctissimos editores viderem sicco pede hunc locum praeteriisse, intellegentiae meae diffisus casu aliquo me in errorem inductum esse putavi. Itaque locum relegi iterum ac saepius et multo post tractavi denuo, quae curae posteriores nihil aliud effece-

---

[69]) De hac mutatione ne quis dubitet, *c* et *t* literas in M saepius inter se permutatas esse probo exemplis his: XV, 20 *albiteram* pro *albiceram*, ib. 36 *tute* pro *cute*, ib. 38 *Punitis* pro *Punicis*.

[70]) Etiam hoc loco eximia dote hunc libellum ornare placet; appono enim Martini Hertzii de hoc loco sanando sententiam, qui ob literas *acce* censuit *aquae* obliteratum esse et sic scribendum coniecit: *tum si etiam copiosiores aquae accessere* e. q. s., ut *imbres* ab interpolatore aliquo profectum esse statuendum sit.

runt, quam ut quae initio me teneret opinio eandem abiciendam esse persuadere mihi non possem. Quapropter non dubitabo exponere, quae res hoc loco mihi offensioni sint. Ac notum est antiquissimis temporibus oleam in Italia non fuisse, sed e Graecia illuc esse translatam; cfr. Th. Mommsen. Hist. Rom. I p. 185, qui linguam quoque Latinam testem advocavit locupletissimam, *oleum* et *oliva* ex *ἔλαιον* et *ἐλαία*, *amurca* ex *ἀμόργη* derivans. Postquam vero oleae cultura ad Italos pervenit, saeculorum decursu per totam Italiam pervagata est et variis de causis, quas idem Mommsen. I, pp. 836. 838 exposuit, tanta incrementa cepit, ut non modo, quantum ipsis Italis olei opus esset, abunde suppeteret, verum etiam ad exteras nationes a mercatoribus Italicis exportaretur et praeter Graeciam omnes fere terrae ad internum mare adiacentes Italico oleo uterentur (Momms. II, p. 400). Et sic Plinius quoque XV, 1: „Fenestella, inquit, omnino non fuisse (oleam affirmavit) in Italia Hispaniaque aut Africa Tarquinio Prisco regnante ab annis populi Romani CLXXXIII, quae nunc pervenit trans Alpes quoque et in Gallias Hispaniasque medias.“ Apertum igitur est, iis annis, qui inde a Tarquinio Prisco usque ad Plinii aetatem praeterierunt, olei cultum maximopere auctum et extensum esse, quod ut manifestis documentis comprobet, statim sic pergit Plinius § 2: *Urbis quidem anno DV Appio Claudio Caeci nepote L. Iunio coss. olei librae duodenae assibus veniere et mox anno DCLXXX M. Seius L. F. aedilis curulis olei denas libras singulis assibus praestitit populo Romano per totum annum.* Hos numeros Plinius eo haud dubie consilio posuit, ut ex hac pretiorum diversitate appareret, quam celeriter intra illos annos 175 oleae cultus in Italia processisset; quod quidem ei fuisse consilium etiam inde necessario concludendum est, quod fore qui eam diversitatem mirentur ratus addit § 3: „Minus ea miretur qui sciat post annos XXII Cn. Pompei III. consulatu oleum provinciis Italiam misisse.“ Sed huic consilio parum conveniunt pretia hoc loco indicata, quae si recte se haberent, anno 680, quamquam in dies plus olei Italia procreaverat, tamen oleum pluris stetisset quam anno 505, ut olei pretium profecisset, non imminutum esset. Hoc autem per se vel maxime improbabile est; exspectas enim sine dubio, primis temporibus, quibus oleum coli coeptum est, pretia eius maxima fuisse, posterioribus crescente magis magisque olei copia paulla-

tim imminuta esse: nam profecto ut raritate rei alicuius pretium augetur, sic imminuitur copia et crebritate. Vel hoc igitur reputantibus subnascatur nobis necesse est suspicio: accedunt vero etiam aliae causae gravissimae, quibus depravationem in numeris agnoscere cogamur. Primum enim XVIII, 17, ubi „annonae vilitatis incredibilis“ exempla ponit, Plinius sic narrat: „Varro auctor est, cum L. Metellus in triumpho plurumos duxit elephantos, assibus singulis farris modios fuisse, item vini congios ficique siccae pondo XXX, olei pondo X, carnis pondo XII.“ Ille autem triumphus a L. Metello de Poenis actus est bello Punico primo anno 504 ab u. c., nam quod Plinius VIII, 16 annum 502 indicavit, discessit, ut adnotavit Urlichsius, ab aera Varroniana. Iam vero si hoc anno 504, quem Plinius inter eos posuit, qui singulari annonae vilitate insignes essent quemque Mommsen. I, p. 837 tam immensae ubertatis fuisse dixit, ut propter hanc ipsam inauditam ubertatem non posset adhiberi ad solita et media quae illis temporibus fuissent pretia annonae exploranda, si hoc anno, inquam, assibus singulis denae librae olei constabant: quis credat anno statim insequenti 505 olei pretium hunc summae vilitatis modum etiam excessisse et libras duodenas singulis assibus veniisse? Hoc enim contrarium est rerum naturae, qua non fere solet annum mirum in modum feracem annus excipere etiam feracior, sed ex summo labore ac contentione natura quasi quieti et remissioni se dare solet. Adde quod, si re vera annus 505 feracitate superasset annum 504, gravissima causa Plinio fuisset, cur illum potius quam hunc annum commemoraret inter eos, quos XVIII, 15—17 posuit rarae ubertatis exempla; quum autem nullo alio loco mentionem faciat eius pretii vilissimi, ex hoc silentio merito colligitur, pretium, quod anno 505 oleo Romae erat, in textu tralaticio falso indicatum esse. Denique quam vile fuerit illud pretium, quo librae denae olei singulis assibus veniere, etiam inde cognosci licet, quod vel anno 680, quo et ipso oleum tantidem constabat, hoc pretium rarum et insolitum summam populi laetitiam excitavit et largitioni potissimum M. Seii aedilis curulis debitum est, qui tali modo popularis auram favoris captabat. Quod tam prospere Seio cessit, ut magna se et inveterata invidia liberaret (Cic. offic. II, 17) et statuae ei in Capitolio et Palatio dicarentur et ipse supremo die populi humeris portaretur in rogum (Plin. XVIII,

16). Tam exiguum vel eo tempore illud pretium a populo habebatur; et tamen credibile esset, 175 annis ante oleum etiam minoris veniisse? Multa igitur videmus concurrere, quae faciant, ut in numeris peccatum esse statuamus. Quod qua ratione sanandum sit, multum disputari potest nulla spe, rem ad liquidum posse perduci: non discedam tamen ab hoc loco, quin quae mihi probabilia videantur paucis dicam. Atque animadvertendum est, quod in illo pretio describendo *(olei librae duodenae assibus veniere)* Plinius ad *assibus* non addidit numerale distributivum; singuli quidem asses intellegendi sunt haud dubie, sed addi debebat *singulis*, praesertim quum etiam in altero pretio *(olei denas libras singulis assibus)* additum sit. Qua ex observatione fortasse nonnihil utilitatis lucrabimur ad verum investigandum, id quod unus Pintianus videtur sensisse, qui Silligio teste cum K *duodenae* mutavit in *duodenis;* at hoc nihil expedit, nam restat simile incommodum, quoniam *singulae* ante *librae* desideratur. Praeterea Pintianus hac ratione olei pretium adeo multiplicavit, ut fidem prorsus excedat. Mihi vero videmur multo propius ad verum accedere *duodenis* vel etiam *denis* post *duodenae* inserentes; certe sic commode explicatur, qui factum sit ut numerale omitteretur, et si ea quae Mommsenius I, p. 837 not. exposuit de medi pretio, quod saeculis septimo et octavo Romae tritico fuisse videretur, pro rata parte ad olei pretium traducimus, singulas libras fere singulis assibus sive duodenas libras assibus duodenis stetisse invenimus.

Quoniam numerorum depravationem modo attigi, placet in fine etiam aliud exemplum numeri corrupti proponere, quod non videtur ipsi Plinio imputari posse, sed librariorum erroribus deberi. Locus est VII, 125, ubi Plinius postquam inter eos, qui geometrica ac machinali scientia gloriam sibi paraverunt, Archimedem Syracusanum a Marcello maximi aestimatum commemoravit, transit ad alios verbis hisce: *Laudatus est et Chersiphron Gnosius aede Ephesi Dianae admirabili fabricata, Philon Athenis armamentario mille navium* eqs. Hoc armamentarium in Piraeo situm quum quadringentas tantum naves continuisse Strabo IX, 395 tradat, Urlichsius Chrest. Pl. p. 71 de *mille* numeri integritate dubitavit; cui ego plane accedo, nam quoniam illud armamentarium Sulla Athenas obsidente anno 86 a. Ch. n. incendio absumptum nec Strabo nec Plinius ipsi oculis inspicere poterant, quae de eo tradiderunt sine dubio

e libris aliorum hauserunt quumque fortasse eodem fonte usi sint, mihi probabile est, eorum testimonia inter se congruisse. Ac quum *mille* non modo M, verum etiam CIↃ scribi soleat, *quadringenti* autem interdum CD scribatur, numerorum discrepantiam conicio hoc modo ortam esse, ut in Plinianorum codicum archetypo CD scriptum fuisse, librarium vero aliquem CIↃ errore exaravisse dicam.

# CONSPECTUS.

# INDEX LOCORUM

## DE QUIBUS IN HOC LIBELLO DISPUTATUM EST.

# CORRIGENDA.

Pag. 6 lin. 4 legas indicavi.
„ „ „ 36 „ nonnulla.
„ 9 „ 19 „ videantur.
„ 22 „ 25 „ *mitia.*
„ 34 „ 25 „ *ἀσυνθέτως.*
„ 37 „ 14 „ *in unguentis.*
„ 40 „ 1 „ loco.
„ 41 not. 23 lin. 7 legas locos.
„ 50 „ 29 „ 6 „ *populi.*
„ 60 lin. 5 legas *tota die.*
„ 65 „ 9 „ significet.
„ 70 „ 20 „ *hominum.*
„ 91 „ 3 „ restitutum.
„ „ „ 14 „ *urbesque.*